208.43
Ep 38 Mo

# EVANGELII

# CONCORDANTIS EXPOSITIO

FACTA A

SANCTO EPHRAEMO

DOCTORE SYRO

S. Hieronymus ad Marcellam: « De Scripturis sanctis » disputanti non tam necessaria sunt verba, quam sensus. » Quod si eloquentiam quaeris, Demosthenes legendus aut » Tullius est; si sacramenta divina, nostri codices, qui de » Hebraeo in Latinum non bene resonant, pervidendi. »

---

*Congregatio Mechitaristica sibi jus proprietatis vindicat.*

# EVANGELII
# CONCORDANTIS EXPOSITIO

FACTA A

## SANCTO EPHRAEMO

DOCTORE SYRO

---

IN LATINUM TRANSLATA

A

**R. P. IOANNE BAPTISTA AUCHER**

MECHITARISTA

CUJUS VERSIONEM EMENDAVIT, ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

ET EDIDIT

D.r GEORGIUS MOESINGER

PROFESSOR STUDII BIBLICI A. T. SALISBURGI




VENETIIS

LIBRARIA PP. MECHITARISTARUM IN MONASTERIO S. LAZARI

1876

24512

PIAE MEMORIAE

D.r GEORGII HURMUZ

SYNENSIS ARCHIEPISCOPI ET MECHITARISTARUM

ABBATI GENERALI

---

Obiit die XI Apr. MDCCCLXXVI

# PRAEFATIO EDITORIS

In secundo tomo editionis Armeniacae operum s. Ephraemi habetur liber, qui inscribitur « Evangelii concordantis expositio, facta a s. Ephraemo, doctore Syro ». Hoc s. Ephraemi opus, in sola lingua Armeniaca conservatum, versione Latina dignissimum censui, non solum propterea quod sine dubio germanum opus est hujus venerandi Patris, sed vel maxime propter textum Evangelii, quem s. Ephraemus in eo explicavit, qui accurate examinatus textus Evangelii Diatessari Tatiani invenitur. Quae ita se habere, brevi dissertatione probaturus primum demonstrabo, Tatianum harmoniam Evangelii, quam Diatesseron vocant, confecisse, deinde argumentis confirmabo, s. Ephraemum commentarium in Tatiani Diatessaron scripsisse, ejusque commentarium in hoc opere Armeniaco nobis conservatum esse.

# I

## DIATESSARON TATIANI.

Tatianum, famosum saeculi secundi post Christum haeresiarcham, ex quatuor Evangeliis unum confecisse, cui nomen dedit « Diatessaron », seu τὸ διὰ τεσσάρων Εὐαγγέλιον, testem primarium apud Graecos habemus Eusebium Caesareensem, qui in historia ecclesiastica cap. 4, 29 haec refert: « Tatianus compositionem et collectionem, nescio quomodo, Evangeliorum contexuit, quam Diatessaron nominavit. Quod opus a quibusdam etiamnum habetur ». Eusebii testimonium confirmat Epiphanius in opere de haeresibus (46, 1), hoc unum adjungens, Tatiani Diatessaron a nonnullis Evangelium secundum Hebraeos nuncupatum esse.

Hoc Tatiani opus Theodoretus, Cyri prope Euphraten episcopus, in opere de fabulis haereticorum (1, 20) uberius describit dicens: « Tatianus Evangelium, quod Diatessaron dicitur, composuit, amputatis genealogiis et aliis omnibus, quae Dominum ex semine David secundum carnem natum ostendunt. Quo usi sunt non modo, qui ejus erant sectae, sed ii etiam, qui Apostolica dogmata sequebantur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius tanquam compendiario libro utentes. Nactus sum etiam ipse libros hujusmodi supra ducentos, in honore habitos in ecclesiis nostris, quos omnes in unùm congestos seposui, et pro his quatuor Evangelistarum evangelia introduxi ».

Apud Syros prima de Diatessaro Tatiani

mentio habetur apud Bar-Bahlul, decimi saeculi scriptorem, qui in suo lexico, ad ultimum a Michaelis edito, p. 192 haec scribit: « Diatessaron, ita dicuntur quatuor Evangelia; haec Alexandriae a Tatiano episcopo scripta asservantur ».

Rectius post eum Dionysius Barsalibi, episcopus Amidae in Mesopotamia, Jacobita († 1171) in praefatione evangelii s. Marci, teste Assemano in Bibl. Or. I p. 57 et II p. 159 haec scripsit: « Tatianus, discipulus Justini philosophi et martyris, elegit e quatuor evangeliis et connexuit et confecit evangelium, quod Diatessaron nuncupabat, i. e. miscellaneum. Hoc scriptum interpretatus est s. Ephraemus. Exordium ejus fuit: « In principio erat Verbum ».

Alius testis est Barhebraeus, episcopus Tagritensis, Jacobitarum primas († 1286), qui in libro, « horreum mysteriorum » inscripto, teste eodem Assemano in B. O. I p. 57 haec ait: « Eusebius Caesareensis quum videret corruptelas, quas fecerat Ammonius Alexandrinus in evangelio diatessaron, i. e. miscellaneo, nuncupato, cujus exordium: « In principio erat verbum », et quod s. Ephraemus interpretatus est, quatuor evangelia integra, ut sunt in textu, servavit, sed consensionem verborum communi canone notavit. Barhebraeus hoc loco in duplici errore versatur; primum enim Ammonium Alexandrinum, alius harmoniae Evangeliorum auctorem, permutat cum Tatiano, quod ex indicato initio hujus Diatessari et memorata explicatione s. Ephraemi clare apparet, dein erronee Eusebium hoc diatessaron Tatiani emendasse asserit, quum ipse Eusebius testetur, se ad Ammonii opus canones suos adjecisse.

Ad hunc testem accedit Ebedjesu, episcopus Sobensis, sectae Nestorianorum addictus († 1318),

qui in catalogo librorum omnium ecclesiasticorum post recensitos libros sacros a. et n. Testamenti memorat « Evangelium, quod compilavit vir Alexandrinus Ammonius, qui et Tatianus, illudque Diatessaron appellavit ». Errorem Bar Bahlul et Barhebraei supra memoratum repetit, Tatianum confundens cum Ammonio Alexandrino.

His testimoniis Syrorum aliud adjungit Curetonus in opere suo « Ancient Syriac Documents » p. 15, ubi ex opusculo antiquo Syriaco « Doctrina Adaei » inscripto haec verba profert: « Populus autem multus quotidie congregabatur et conveniebat ad orationem in sacro ministerio et ad Testamentum vetus et novum Diathurnun et in vitam mortuorum credidit etc. » Curetonus obscurum vocabulum « Diathurnun », quod in Syriaco in casu genitivu positum est, Diatessaron legendum esse et Tatiani Diatessaron significare putavit. In Armeniaca versione hujus loci, quae in opusculo « Epistola Abgari » inscripto p. 33 habetur, ita legitur: « Populus multus quotidie congregabatur et orabat et sacro ministerio assistebat et cum antiquum et novum Testamentum auditu percepisset, in Trinitatem et in resurrectionem et in vitam mortuorum credidit ». Haec versio et ipse contextus, quo lectio antiqui et novi Testamenti simul memorata apparet, opinionem Curetoni valde improbabilem reddunt.

Denique Assemanus in B. Or. I, p. 611 inter codices Arabicos Bibliothecae Vaticanae recenset: « Tatiani Diatessaron, seu quatuor Evangelia in unum redacta ». Sed ipse Assemanus in B. Or. III, p. 13 hoc opus Ammonio a nonnullis adscribi adnotat. Card. Mai in opere « Vet. Scriptorum nova collectio », IV, p. 14, hoc manuscriptum ita describit: « Sacrosanctum Evangelium... vulgo Diatessaron nuncupatum et in sectio-

nes seu capita quinquaginta quinque distributum, auctore Tatiano Syro... In fine haec a librario adnotata reperies: « Explicit auxilio Dei sacrosanctum evangelium, quod ex quatuor evangeliis collegit Tatianus, quodque Diatessaron vulgo dicitur ». Istud opus Akerbladio judice (apud Keil et Tzchirner, Analecta studii theologiae exegeticae II, I, p. 184 sqq.) fere idem est atque evangelium a Victore Capuae episcopo saeculo sexto inventum et in sermonem latinum translatum.

Haec sunt testimonia antiquorum de Tatiani Diatessaron, paucis aliis minoris momenti omissis, quae praeter haec Carolus Semisch in sua dissertatione « de Tatiani Diatessaron » in medium protulit. Quibus omnibus comparatis, pro certo constat, Tatianum saeculi secundi haeresiarcham, ex quatuor evangeliis unum composuisse, cui nomen Diatessaron inditum est. In hoc opere ipsa verba s. Evangeliorum contenta fuisse, ex verbis Eusebii et Theodoreti, praecipue vero ex comparatione cum Concordantia evangeliorum ab Ammonio confecta clare liquet. Dein ex verbis Theodoreti discimus, in Diatessaron Tatiani genealogias et reliqua, quae Dominum ex semine David secundum carnem ortum demonstrant, omissa esse. Idem Eusebius indicare videtur dicens: « Tatianus compositionem et collectionem, nescio quo modo, Evangeliorum contexuit ». Porro Theodoretus et scriptores Syri nobis referunt, hoc Tatiani opere non solos Encratitas, sectae ejus asseclas, sed et catholicae fidei sectatores, praecipue in Syria et Mesopotamia, usos esse.

Quae omnia exacte conveniunt testimonio Dionysii Barsalibi dicentis, s. Ephraemum in Diatessaron Tatiani commentarium confecisse, de quo jam uberius nobis disserendum est.

## II

### COMMENTARIUS S. EPHRAEMI IN DIATESSARON TATIANI.

Dionysius Barsalibi de Diatessaro Tatiani, ut superius memoratum est, loquens haec adjungit: « Et hoc scriptum interpretatus est s. Ephraemus ». Idem auctor, teste Assemano (B. O. I, 57), mox inferius refert: « Sanctus quoque Ephraemus ordinem Diatessari secutus Evangelium explanavit ». Alter testis Syriacus Barhebraeus de Diatessaro quidem Ammonii dicit: « quod s. Ephraem interpretatus est », sed verba ejus ad Tatiani Diatessaron referenda esse, supra demonstratum est. His testibus accedit s. Gregorius Nyssenus, qui s. Ephraemo coaevus his verbis eum laudavit: « Omnem et antiquam et novam Scripturam assiduo studio, ut quivis alius, studiose versavit, accurateque ad verbum est interpretatus ». (Assem. B. O. I, p. 56). Fragmenta quoque commentarii s. Ephraemi in Evangelium in codicibus Vaticanis Graecis 663, 733, et 1190 memorat Assemanus in B. O. I, p. 159. Quae testimonia, sive directa, sive indirecta, si componuntur cum eis, quae Theodoretus de usu Diatessari Tatiani apud orthodoxos in Syria et Mesopotamia nobis refert, satis clare demonstrant, s. Ephraemum commentarium in Tatiani Diatessaron confecisse.

Et revera in editione Armeniaca operum hujus s. Patris, in tomo II, p. 5-260, commentarius ejus in Evangelium concordans conservatus est. In hac Armeniaca elucubratione contineri opus germanum s. Ephraemi, et non aliud, quam saepe memoratum com-

mentarium in Diatessaron Tatiani, multis firmisque rationibus probari potest.

Inscriptio hujus operis in laudata editione Armeniaca haec est: «Evangelii concordantis expositio, facta a s. Ephraemo, doctore Syro». Cujus inscriptionis veritatem multa indicia, quae in ipso opere reperiuntur, confirmant. In hoc enim commentario plerumque breves expositiones ad sententias, quae difficiliores videbantur, adjectae sunt, qua methodo s. Ephraemus etiam antiquum Testamentum explicavit, ut ex ejus commentariis in tomo I et II operum ejus Syriacorum apparet. Nonnullis locis prolixi sermones additi sunt, ex. gr. de nativitate Ioannis Baptista, de muliere sanguinis fluxu laborante, qui omnes stylum Ephraemi, celeberrimi Syrorum oratoris et poëtae, redolent. Haec Evangelii expositio ab eruditione Graecorum Patrum multum quidem abest, et saepius erronea et fabulosa continet, verumtamen eximiam ingenii aciem et magnam pietatem et sanctitatem auctoris prodit, quae omnia in commentariis s. Ephraemi in v. Testamentum facile observantur.

Ex singulis, quae in hoc opere s. Ephraemum auctorem indicant, primo loco ponenda est descriptio condicionis ecclesiae, in qua auctor versabatur, quae p. 284 vero pastore orbata insidiis lupi tradita dicitur. Quod sine dubio ad triste schisma referendum est, quod in ecclesia Edessena invaluit, postquam episcopus ejus catholicus Barses ab imperatore Valente a. 364 in exilium missus est. Porro disputationes contra Marcionistas, toti operi insertas, s. Ephraemum acerrimum haereticorum et praecipue Marcionistarum confutatorem indicant. Monita frequentia monachis data, laudes vitae asceticae et monasticae, quae saepe recurrunt, s. Ephraemo, qui vitae monasticae eximium

decus et fulcrum erat, omnino conveniunt. Rursus multae opiniones, quae in commentariis s. Ephraemi in v. Testamentum reperiuntur, in hoc quoque opere leguntur. Sic tenebras, de quibus gen. 1, 2, sermo est, umbram coeli fuisse asseritur, ut in commentario ejus in Gen. tom. I, p. 6, A et 200 F. Anni quadringenti, quibus posteri Abraham in terra aliena fore in libro Gen. 15, 1-16 praedictum est, ab ipso Abraham numerantur in hoc opere p. 221, et in commentario in Gen. tom. I, p. 122.

Denique ipsa lingua Armeniaca, in qua hoc opus conservatum est, Syrum auctorem prodit, quum multae constructiones Syriacae contra ipsam linguae Armeniacae indolem in eo reperiantur. Sic frequenter pronomen relativum indeclinabile est, ejusque casus per sequens pronomen personale indicatur, quae regula apud Syros, non autem apud Armenos valet. Ipsum cognomen Korjo s. Ephraemo in operis inscriptione datum, quod vox Syriaca est, textum originalem Syriacum indicat. Haec perquam breviter perstricta argumenta s. Ephraemo hoc opus adscribendum esse clare demonstrant.

In his vero commentariis s. Ephraemum Diatessaron Tatiani interpretatum esse, denuo ipsa operis inscriptio comprobat, quae habetur : « Evangelii concordantis expositio ». Harmoniam Evangeliorum in hoc opere explicari, locorum citatorum series comprobat. Exordium enim sumit auctor ab Ioan. 1, 1-4, et adjungit Luc. 1, 5; Ioan. 1, 14, 17; Luc. 1, 6-77; Matth. 1, 18-25, etc. Nullum autem aliud evangelium concordans antiqui scriptores memorant, in illis regionibus divulgatum, nisi Diatessaron Tatiani et Diatessaron Ammonii Alexandrini. Verum Ammonii Diatessaron, ut Eusebius Caesareensis in epi-

stola ad Carpianum testatur, non erat aliud, quam evangelium Matthaei, cujus singulis capitulis ad latus adjuncta erant capitula convenientia aliorum trium Evangelistarum. Quare in sententia Barsalibi standum est, expressis verbis dicentis, s. Ephraemum Diatessaron Tatiani interpretatum esse.

Porro Dionysius Barsalibi nobis refert, s. Ephraemum interpretatum esse Diatessaron Tatiani, cujus exordium fuit: « In principio erat Verbum ». Et revera in hoc commentario s. Ephraemi textus Evangelii quo interpres utitur, p. 3 sic incipit: « A principio (vel juxta cod. B « in principio ») erat Verbum ».

Rursus Theodoretus nos docet, in Diatessaro Tatiani genealogias Domini amputatas esse, et reapse nullum genealogiae Christi vestigium in hoc commentario reperitur.

Denique textus Evangelii, quem s. Ephraemus in hoc opere explicat, communiter a textu versionis Syriacae, quam Peschito vocant, differt, et cum textu Evangelii Syriaci consonat, quod Curetonus edidit, et versione Peschito antiquius recte asserit. Quod ita se habere, nonnullis hoc loco exemplis probabo. In commentariis s. Ephraemi p. 5 locus apud Ioan. 1, 4-5 sic habetur: « Sine ipso factum est nihil. Quodcunque factum est, per ipsum vita erat, et vita erat lux hominum ». Evangelium antiquum Curetoni hunc locum eodem modo reddit, quem Peschito juxtam textum Graecum emendavit et vertit: « Sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat et vita erat lux hominum ». Verba Matthaei 1, 25 in commentario s. Ephraemi sic redduntur: « In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum »; in Evangelio antiquo Curetoni: « Caste habitabat cum ea, donec peperit filium »; in Peschito et in textu Graeco:

« Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum ». Sed hac de re singulari dissertatione uberius, Deo juvante, dicturus, argumentis modo in medium prolatis satis confirmasse existimo, hunc s. Ephraemi commentarium textum Diatessari Tatiani continere, et hanc ob causam maximi esse aestimandum. Restat, ut de fonte, unde Armeniaca versio hujus operis s. Ephraemi in lucem prodiit, et de Latina ejus translatione, quae in hoc libro continetur, pauca dicamus.

## III

### VERSIO ARMENIACA ET LATINA HUJUS COMMENTARII S. EPHRAEMI.

Textus versionis Armeniacae hujus operis s. Ephraemi ex Manuscripto Armeniaco monasterii s. Lazari desumptus est, scripto in monasterio Halbat anno Armenorum 644 i. e. 1195 post Christum, ut in adnotatione in fine ejus adjecta et in praefatione editionis Armeniacae tom. I, p. 7 dictum est. Hic codex in nonnullis locis partim ruptus, partim oblitus est, unde multae lacunae, quae in textu impresso reperiuntur, exortae sunt. Ad hunc codicem, qui in isto libro codex A appellatur, accedit alter, ibidem codex B designatus, de quo in memorata praefatione editionis Armeniacae operum s. Ephraemi p. 7 haec dicta leguntur : « Prope finem impressionis « Explicationis Evangelii » « a viro quodam religioso aliud exemplar ad nos pervenit, quod a s. Nersete Lampronensi divinitus constituto archiepiscopo propria manu conscriptum est ». S. Nerses ipse in fine codicis hanc adnotationem in

memoriam adjecit: « Gloria et gratiarum actio Ei qui est initium et finis, ab humili Nersete, qui elaboravit hoc opus, anno 644 ». Casu fortuito factum est, ut ambo codices, quibus hoc opus s. Ephraemi nobis conservatum est, eodem anno 644 Armenorum, i. e. 1195 post Christum ad finem perducerentur.

Armeniaca versio hujus Commentarii s. Ephraemi, quae in his duobus codicibus continetur, tota spirat antiquitatem literarum Armeniacarum, et judicio doctorum Patrum Mechitaristarum, quorum sententiam exquisivi, ad aetatem Interpretum i. e. ad saeculum quintum referenda est. Interpres Armenus textum Syriacum magna cura verbum ex verbo expressisse videtur, unde multae constructiones Syriacae, sed et magna obscuritas plurimis in locis provenerunt.

Versionem Latinam hujus Armeniaci operis Rev. Pater Ioannes Bapt. Aucher de literis Armenorum bene meritus († 1854) anno 1841 confecit, in qua non tam sensum, quam verba textus Armeniaci verbis Latinis reddidit. Haec versio cum pretioso codice s. Nersetis a R. R. Patribus Mechitaristis monasterii s. Lazari liberaliter usui meo tradita est, cujus adminiculo versio, quae in hoc libro legenda offertur, conficiebatur. Haud me fugit, Latinam hanc versionem puro sermone saepe carere et multas constructiones ab indole hujus linguae discedere, sed textus originalis verba et sententiarum nexum exprimere malui, quam, his neglectis, Latinae orationis nitorem sectari. Non me latet, multos locos in hoc opere valde obscuros esse et sensum ambiguum praebere, sed et hos aliter reddere eorumque ambiguitatem e medio tollere nolui, ut saltem vestigium sensus s. Ephraemi relinqueretur, quo interpres sagacior ad loci intelligentiam pervenire posset. Multae hujus operis difficultates sine dubio

solverentur, si, quod magnopere desiderandum est, textus ejus originalis Syriacus inveniretur.

Denique Lectorem moneo, menda, quae in hoc libro forsitan reperiuntur, editori imputanda non esse, qui plagulas correctas, antequam ultimo prelo subjicerentur, propter locorum distantiam inspicere nequivit. Fruere igitur, benevole Lector, hoc s. Ephraemi labore, confortare fide, pietate et doctrina hujus s. Patris, quem grati cives citharam Spiritus Sancti appellant, nec mireris, verba Doctoris Syrorum nostris auribus saepe peregrine sonare.

V a l e.

Salisburgi, die 13 Maji 1876.

Dr. GEORGIUS MOESINGER,

Professor Theologiae.

# EVANGELII
# CONCORDANTIS EXPOSITIO
## A
# SANCTO EPHRAEMO
### DOCTORE SYRO [1]
## ELUCUBRATA.

---

## CAPUT I.

Quare Dominus noster carnem induit? Ut ipsa caro victoriae gaudia gustaret, et dona gratiae explorata et cognita haberet. Si Deus sine carne vicisset, quae ei tribuerentur laudes? Secundo, ut Dominus noster manifestum faceret, se initio creationis nequaquam ex invidia prohibuisse, quominus homo fieret Deus, quia majus est, quod Dominus noster in homine humiliabatur, quam quod in eo, dum magnus et gloriosus erat, habitabat [2]. Hinc illud: « Ego dixi: Dii estis [3] ».

1. Armeni cognominant S. Ephraemum *խոր chor*, vel *խորի chori*, vel *խորին chorin*, vel *խուր chur*, quod est Syriacum *Qorjo*, i. e. lector. Lectorem autem in hoc titulo sensu latiori sumendum esse et commentatorem vel Doctorem significare, recte in Lexico P. Emm. Ciakciak dictum est. Syri S. Ephraemum Doctorem cognominare solent. Annotatio infra lineas textus impressi h. l. posita ita sonat: « In principio codicis nonnumquam vocabula deleta sunt, ut puncta intermedia ostendunt. Ubi ex contextu sermonis haec vocabula intelligi poterant, quae desunt, complevimus et literis minusculis indicavimus ».

2. Praecedens sententia ita quoque verti potest: « Quia major erat homo, in quo Dominus noster humiliabatur, quam ille, in quo, dum magnus et gloriosus erat, habitabat ». Quasi diceret: Major erat Adamus secundus, quam Adamus primus.

3. Psalm. 81, 6.

Verbum itaque venit et carnem induit, ut per id quod apprehenditur, apprehenderetur id quod apprehendi non potest, et per id quod non apprehenditur, caro se averteret ab eis quae eam apprehenderant[1]. Decebat enim, Dominum nostrum portum fieri omnium bonorum, in quem homines congregarentur, et locum collectionis omnium mysteriorum, ad quem undique accurrerent, et thesaurum omnium arcanorum, ut omnes homines quasi alis ad eum sursum ferrentur, et in eo solo quiescerent. Cognosce[2] sapientiam, quod in casu ejus qui ceciderat, cecidit et is qui illum erat suscitaturus. Quoniam corpus Adami prius erat, quam perturbationes ejus, ideo perturbationes, quas Adamus postea induerat, Christus non assumpsit, quia quoddam debilitatis additamentum erant ad naturam sanam. Dominus igitur naturam, cujus sanitas perierat, sanam induit, ut homo per sanam Domini naturam sanitatem primae suae naturae recuperaret. Quum enim mordaces bestiae[3] hominem immaniter vulnerassent, Benefactor remediis suis nos vivificare festinavit. Immeritus circumdatus est homo ligamentis, quia et plagae ejus immeritae erant; nihil enim homo in Satanam, qui eum percussit, peccaverat, sed et nihil Benefactori dederat, qui eum sanavit. Samson maxilla asinae multos perdidit, serpens autem universum genus humanum perdidit. Eisdem igitur armis, quibus hostis vicerat et mundum damnationi involverat, Dominus indutus ad certamen descendit et in carne ex muliere assumpta mundum vicit, hostem superavit atque damnavit. Quamdiu ecclesia in abscondito erat,

1. Hic quoque locus aliter versus ita se habet: « Ut per eum qui apprehenditur, apprehenderetur is qui apprehendi non potest, et ut per eum qui non apprehenditur, caro se averteret ab eis qui eam apprehenderant. Nimirum per Deum visibilem apprehenderetur Deus invisibilis, per quem caro se averteret a diabolo et peccatis „.

2. Lacuna in hoc loco ex neutro codice expleri potest. Si ad spatium vocabuli omissi respicitur, vox trium vel quatuor literarum supplenda est. Ex conjectura posui: « Cognosce „.

3. Ad verbum: « Gladii bestiarum „, id est, dentes acuti bestiarum.

mysteria [1] eam praedicabant, dum ipsa tacebat, quum autem ecclesia revelata esset, ipsa coepit interpretari hos suos interpretes, qui propter illius revelationem exinde tacuerunt [2].

A principio [3] erat Verbum. (Joan. 1, 1-5). Hoc dicit Evangelista, ut ostenderet, quod, sicuti verbum est penes eum qui id pronunciat, ita et Deus Verbum cum genitore suo omne opus communicat et in eo est et extra eum est. Et bene intelligas, verbum, antequam pronuncietur, jam existere; nam Zacharias sine labiorum motu loquutus est. Rursus Dominus noster Verbum appellatur, quia per eum abscondita revelata sunt, sicut et per verbum abscondita cordis revelantur, ut et Apostolus Paulus testatur dicens: « Consilium arcanum Dei Christus est, a quo revelata sunt omnia mysteria sapientiae et scientiae [4] ». Cæterum verbum non pronunciatur, quin formetur [5], quia natura verbi generata est. Itaque Verbum de se ipso testatum est, quod non est a semetipso [6], sed quod genitum est et quod non est Pater, sed Filius, quia dixit: « Deum nemo unquam potuit videre, sed Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis de eo annunciavit [7] ». Et rursus dicit: « Et ego a Patre veni [8] ». At si dicis, id quod est, genitum esse non posse, mentiri facis Scripturam, quae dicit: « erat », et iterum: Genitus est ex sinu Patris sui.

A principio erat Verbum. Cave, ne verbum vile hoc loco intelligas idque tam exiguum existimes, ut id vocem appelles. Vox enim ab initio non est,

1. Mysteria vocantur hoc loco typi et figurae antiqui foederis.

2. Cod. B. ita habet: « Coepit explicare mysteria, quia interpretes ejus, qui propter ejus revelationem erant, non tacuerunt ». Particulam « non » ex errore insertam puto.

3. Ita ad verbum in cod. A legitur. Cod. B. habet: « In principio » excepto uno loco, ubi etiam habet: « A principio ».

4. Ad Coloss. 2, 3.

5. Ad verbum: « Non pronunciatur sine forma ».

6. Ad verbum: « Quod non est ipsum », i. e. solum, sine genitore.

7. Joan. 1, 18.

8. Joan. 5, 43, vel Joan. 16, 28.

quia vox, antequam pronunciatur, non est, et postquam pronunciata est, itidem non existit. Itaque non vox erat Verbum, quod ex sua natura similitudo formae Patris sui erat, nec vox Patris, sed imago ejus. Quodsi filii, qui a te procreantur, tui similes sunt, quomodo putas, Deum vocem genuisse et non Deum? Quodsi filius Elisabeth, qui vox nuncupatus est, homo est, etiam Deus, qui appellatus est Verbum, Deus est. Si objicis, Filium expresse in Scriptura nomine verbi designari, intellige, Joannem, qui pariter vox vocatur, tamquam personam existere; simili ratione Deus, qui vocatur verbum, etiam Verbum Deus est [1]. Si autem opinaris, Filium esse cogitationem Patris, quaero, num semel cogitat Pater? Quodsi multae sunt ei cogitationes, quomodo ille est Unigenitus? Et si Filius est cogitatio intra eum, quomodo est ad dextram ejus?

A principio erat Verbum. Sed non verbum, quod sub initio mundi dicebatur, hoc Verbum est, quod ante initium et ante tempus est, quia nec dies datur, nec tempus, quo ipsum non erat [2]. Verbum verum est, quod non uno tempore est et alio non est, aut quod aliquando non fuit et aliquando factum est, sed quod semper, continuo, ab initio, ab aeternitate jam erat. Quoniam, qui profert Verbum, aeternus est, et quia Verbum hoc simile est dicenti et Verbum est dicentis, ideo: « A principio, ait, erat Verbum ». Et ut ostenderet, ejus ortum [3] omne initium et terminos temporum praecedere, dixit: « erat ».

1. In cod. B ita legitur: Et verbum, quod ex Deo est, vocatum est Deus, quia verbum Dei Deus est ».

2. Textum codicis B in vertenda hac sententia secutus sum. Textus impressus probabiliter hunc habet sensum: Nam quia tempus datur, quo hoc verbum (in creatione mundi dictum) non erat, sed is, qui id dixit (solus) erat, consequeretur, tempus fuisse, quo ipsum Verbum (Filius Dei) non existebat. Textus codicis B. praeferendus est.

3. Ad verbum: « Ejus revelationem », i. e. revelatio ejus ad intra, gloriosa ejus ex Patre origo. In Syro sine dubio erat *denho* quod significat ortum, splendorem et illuminationem. Haec sententia ex codice B translata est, quia codex A falsam habet sententiarum divisionem.

Porro, si hoc Verbum « erat apud Deum », et non Deo [1], dicendo « apud Deum », Evangelista clare nobis exponit, quod, sicut Deus erat, apud quem erat Verbum, ita et ipsum Verbum apud Deum qua Deus existebat. A principio erat Verbum. Quibus verbis duas res declaravit, scilicet naturam Verbi et generationem ejus. Et ne « Verbum » absque interpretatione sineret, adjecit: Hoc Verbum erat apud Deum, quibus duo praedicavit, primum, quod Verbum non est velut homo aliquis, quia « apud Deum erat », deinde subsistentiam Verbi. Et Deus erat Verbum, quo tria docuit, nimirum, Verbum esse Deum, personam et genitum. Hoc erat a principio apud Deum. Prudenter haec verba apposuit, ne unam personam praedicare videretur. Hoc erat a principio apud Deum. Dixit ergo primum de generatione ejus, secundo, quod apud eum erat, tertio, quod et Deus erat, quarto, quod jam pridem apud eum erat.

Omnia per ipsum facta sunt, quia opera per ipsum constituta sunt, Apostolo dicente: « Omnia per ipsum facta sunt, quia per ipsum constituta sunt opera [2] » et: « Per eum fecit universam terram [3] ». Et sine ipso factum est nihil. Quod idem est. Quodcunque factum est [4], per ipsum vita erat, et vita erat lux hominum, quia per ortum ejus error, qui praecesserat, consumptus disparuit. Et haec lux in tenebris lucebat et tenebrae eam non vicerunt, ut et dicit: « Ad suos venit et sui non receperunt ».

1. Id est, a Deo factum et Deo destinatum, ut reliquae res creatae. Quae sequuntur, ex cod. B verti; textus impressus ita forsitan vertendus: Clare nobis exponit, quod, sicut erat is qui erat (semper), ita et ipsum Verbum apud Deum (semper erat).

2. Ad Coloss. 1, 18.

3. In cod. B Dicente Apostolo: « Per eum fecit universam terram ». Reliqua desunt, sine dubio ex mendo scriptoris. Unde haec verba sumpta sint, ignoro.

4. Hic locus in Diatessaron a textu Graeco valde diversus hunc sensum habet: Omnia per Christum facta per Christum etiam vita erant, i. e. ad vitam veram et permanentem facta et constituta.

Et haec lux in tenebris lucebat. Intellige, quaenam tenebrae contra illam lucem hominum pugnaverint, et perpende, qua ratione antea in eis luxerit. Quum autem dicit: « lucebat », noli de Verbo vile aliquid existimare, sed ex verbis « in tenebris lucebat », intellige, Evangelistam tempus, divinum ejus ortum praecedens, tenebras vocare et ostendere, quod Verbum illo tempore lucebat. De his enim tenebris in alio loco Evangelii audire possumus, quo repetitur dictum prophetae: « Terra Zabulon et Nephthali, via maris et transitus Iordanis fluvii, Galilaea gentium, populus, qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam [1] » Quas tenebras ideo apud illos esse asserit, quia erant populus valde dissitus, habitationem et sedem habens ad litus maris, qui a disciplina et doctrina Legis procul aberant; qua ex causa vocat eos populum, qui « sedebat in tenebris ». Ita vero de his loquutus est Evangelista, quia ipse [2] dixerat: « Lucem, id est, doctrinam et scientiam ejus, tenebrae praecedentes, id est, error, non vicerunt ». Evangelista initium muneris, quod Dominus noster in corpore suo exequebatur, praedicare exorsus ita cœpit dicere: « Tenebrae eam non vicerunt ».

Fuit [3] in diebus Herodis regis Iudaeae (Luc. 1, 5.). Completa autem expositione de Verbo, in alio loco, quomodo et usquequo et quare se humiliasset, ita dicit: Hoc Verbum caro factum est et habitavit in vobis. (Joan. 1, 14) Dehinc ergo, quodcunque post impletum hoc verbum in Scriptura de Verbo audieris, non de mero soloque Dei Verbo intelliges, sed de Verbo, quod carne indutum est, id est,

1. Math. 4, 15.

2. « Ipse » non premendum est. Non enim idem Evangelista dicit, quae sequuntur.

3. Ita in Cod. B. In Cod. A: « Sed fuit ». Citata haec verba, sine expositione et extra contextum sermonis hoc loco posita, post paucas lineas recurrunt et explanantur. Quare, ut alia multa citata, falso intrusa videntur, nisi forte indicant, in Diatessaron post Ioh. 1, 5 positum esse Luc. 1, 5-79.

narrationes sunt mixtae, divinae sunt omnes et humanae, excepto illo primo et principali omnium [1].

In diebus Herodis regis Iudaeae sacerdos quidam, et nomen Zacharias et uxor ejus Elisabeth. Quod dicit: Immaculati erant in omni regione sua [2] (Luc. 1, 5-77), ne dicerent, propter peccata eos non generasse, quum tamen rebus mirabilibus asservarentur. Et erit gaudium et exultatio tibi, non quod filium genuisti, sed quod talem genuisti. « Non erit, ait, inter natos mulierum major, quam Ioannes [3] ». Vinum et siceram non bibet. Angelus eum annunciavit, sicut infantes votivi annunciabantur, ut indicaret, Ioannem unum ex illis fore. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, ibis ante Dominum parare vias ejus. Quemadmodum Spiritus in puero, ita et in sene [4] erat.

« Et tu ibis ante faciem ejus », non ut prophetae, qui praecones tantum famae ejus erant. Dare scientiam perfectam salutis, ut mysteria transitura ab ipsa veritate, quae nunquam transit, discernere possint. Gratia et veritas per Iesum facta est [5] (Joan. 1, 17). Ad dextram altaris annunciatus est Ioannes, qui praeco erat Domini ad dextram sedentis.

1. Sensus esse videtur: Quod de Verbo ante incarnationem dictum est et ad primam ejus revelationem spectat, id de solo Verbo Dei, non de Verbo Dei humana natura vestito intelligendum est.

2. Ad verbum: « In omni habitatione sua », quod Aucher explicat: « In omni regione sua, vel in habitu suo ». Cod. B h. l. laceratus est; inferius autem (Nota 1, ad pag. 14) hunc locum referens etiam habet: « In omni habitatione sua », ubi cod. A habet: « In omni natura sua ». Voces բնութիւն, natura, et բնակութիւն, habitatio, in Arm. simillimae, facile permutantur.

3. Luc. 7, 28.

4. In Zacharia, patre Ioannis, haec dicente, vel in sene Simeone. Verba: Ibis ante etc. desunt in cod. B.

5. Hae verba vel cum praecedentibus jungenda sunt, hoc sensu: Ut possint discernere veritatem Christi, quae non transit, quia nimirum veritas et gratia per Christum facta est; vel extra contextum citantur, ut dixi in adnotatione mox praecedenti.

Hora, qua cultus divinus peragebatur, annunciatus est, ut ostenderetur, eum esse terminum ministerii et cultus prioris. Interius in Sanctis obmutuit Zacharias, ut manifestum faceret, mysteria Sanctorum in adventu ejus qui mysteria perficit, tacitura esse. Quia non credidit, uxorem suam a sterilitate solutum iri, in sermone suo ligatus est.

Zacharias accessit ad angelum, ut doceret, filium suum minorem esse angelo. Ad Mariam vero ipse venit angelus, ut ostenderet, ejus filium esse dominum angeli. In templum venit angelus, ne praetextus praeberetur eis qui mendacii [1] praetextum quaerebant. Ad Elisabeth angelus non venit, quia Zacharias erat genitor Ioannis; ad Josephum autem Gabriel non venit, quia Maria sola erat genitrix Unigeniti. Gabriel ad Elisabeth, cui erat maritus, non venit, ad Mariam autem venit, ut nomine suo locum expleret mysterii viri [2]. Exaudita est deprecatio tua ante Deum. Si Zachariae persuasum fuisset, id quod orabat, sibi datum iri, bene orasset; at quia non credidit, fore, ut sibi hoc daretur, male oravit. Quod a Deo precabatur, prope erat, ut fieret, et ille dubitavit, an fieret. Propterea verbum deprecationis ejus, dum in eo esset, ut impleretur, recte ab eo ablatum est [3]. Prius assidue petierat, ut filius sibi daretur, quando autem ipsius preces auditae erant, se avertit et dixit: Quomodo fiet istud?

Quia dubitavit de verbo, in ore percussus est et in precibus ab eo ablatum est verbum, quod antea ipsius voluntati obsecutum erat [4]. Ita ergo res se habuit. Quam

1. In codice B: « Praetextum veritatis » (vel praetextum contra veritatem).

2. Ita ad verbum. Sensus est: Ut nomine suo « Gabriel », i. e. virtus Dei, indicaret mysterium mirabilis conceptionis Mariae; aut: Ut in apparitione sua mysterium incarnationis annunciaret.

3. In cod. B: « Quare recte, quum preces ejus appropinquarent, ab eo verbum ablatum est ».

4. In versione hujus sententiae codicem B sequutus sum. Textum impressum Aucher ita vertit: « Quando autem divisus est sermo, divisum fuit os a suis deprecationibus, divisus est ab eo et sermo suus, et propriam coluit voluntatem ».

rem, quum longe abesset, poposcerat, quum in annunciatione appropinquaret, non credidit. Donec credebat, etiam loquebatur, ut autem credere desiit, obmutuit. Credidit et locutus est, ut Scriptura dicit: « Credidi, propter quod locutus sum [1] ». Igitur quia verbum vilipendit, verbo afflictus est, ut verbum, quod vilipenderat, vocis suae defectu honoraret. Quia os ejus dixerat: Quomodo fiet istud, eum mutum reddi oportuit, ut disceret, istud fieri posse. Lingua soluta ligabatur, ut disceret, fieri posse, ut uterus ligatus solveretur, cognovitque Zacharias, eum qui ligavit linguam, uterum solvere posse.

Doceat experientia eum qui noluit, ut se fides doceret. Quum enim loqui tentaret, expertus est, se loqui non posse, tumque intellexit, claudentem os apertum aperire posse uterum clausum. Eo quod mutus factus est, certo cognovit, quam injuste locutus esset. Cur enim lex praecepit: « oculus pro oculo », nisi ut iniquus amissione oculi sui disceret, quam egregiam rem violasset? Ita et Zacharias verbo delinquens verbo punitus est, ut fructum [2] justae retributionis gustaret. Privatus est verbo, quia existimaverat, verbum, quod sibi dicebatur, non impletum iri. Quum [3] os ejus impediretur, quominus necessaria verbis exprimeret, didicit, verbum annunciationis a se male fuisse impeditum. Verbo Zachariae vituperatum est verbum angeli; sed et verbum ejus poenas luit ab angelo. Licet omnia membra in uno membro paterentur, tamen in praesentiarum per membrum, quod deliquit, Zachariam puniri oportuit [4]. Etsi poena ad omnia membra perveniret, tamen ipsam poenam in capite gustavit [5]. Hujusmodi erant Zachariae delicta, ut poenam subito in eum adducerent, ne et alius fieret, sicut ille [6].

1. Psalm. 115, 2.
2. Cod. B: Ut per castigationem fructum etc.
3. Ita in cod. B sententiae divisae sunt.
4. In cod. B: « Membrum, quod deliquit, puniri oportebat ».
5. In cod. B: « Ipsam poenam illud membrum (lingua) praecipue gustavit ».
6. Haec et sequens sententia in cod. B: ita sonant: « Ut poe-

Quum Zacharias ab angelo laetum nuncium accepisset, suum erat, egredi et angeli praeconem fieri. Verum quia ex incredulitate per verba sua praeco illius fieri nolebat, poena ei inflicta est, ut ea quae verbis praedicare debebat, silentio praedicaret. Eo quod haec visio in Sanctuario ei contigit, populus certior factus est, eum hujusmodi visione dignum fuisse ; quum autem eum silentio ligatum viderent, intellexerunt, labiis ejus custodia opus fuisse. Lingua dolore afflicta est, ut mens emendata disceret, frenos firme adhibere labiis. Quia ori suo custodiam non posuit, porta oris silentio obstructa est. Quoniam angelus prope Sancta Sanctorum cum eo loquebatur, populus intellexit, nuncium de rebus secundis ei datum esse, sed eo quod loqui non poterat [1], cognoverunt, eum ineptum aliquid respondisse. Quia hora orationis, in qua preces fiebant, visio ei obtigit, sciverunt, donum aliquod ei missum esse, sed quia in ore ejus gratiarum actionem non inveniebant, cognoverunt, eum donum non accepisse. Licet Zacharias ipse de verbis angeli dubitasset, tamen, quia mutus factus erat, nemo amplius de eis dubitavit. Qui laeto nuncio per angelum allato non credidit, ejus silentio omnes homines laeto huic nuncio crediderunt. Silentio enim Zacharias ceteris factus est et propheta et judex, ut per prophetam exoptatum nuncium edocerentur, et per judicem timore percuterentur, ne ejusmodi nuncium vilipenderent. Ipsi quoque Zachariae angelus et propheta factus est et judex. Tamquam propheta ei exposuit arcana et tamquam judex eum dolore affecit et poena.

Nuncius futurorum bonorum illa hora generi humano missus est, quumque primus, qui eum audiebat, dubitaret, signo eum notavit, ne alii eum imitarentur. Laetus itaque hic nuncius, qui ab angelo alta voce proclamatus credibilis non videbatur, effecit, ut Zachariae nutibus indicatus credibilis fieret. Zacharias videns, suis nutibus omnes credere, intellexit, se perperam de ver-

nam in eum adducerent, ne alius fieret, sicut ille, quia Zachariam nuncio, quem acceperat, credere et praeconen fieri oportuit».

1. In cod. B: At quia viderunt, eum loqui non posse.

bo angeli dubitasse. Silentium ergo ejus effecit, ut bene audiret. Quia non credidit angelo, qui os Dei erat, mutum eum fecit, ut pugillaris ejus loco loqueretur.

Quum laetissimum de Ioanne nuncium, quem ab angelo percepit, non crederet, mutus evasit; quum vero Ioannem ex utero egressum videret, locutus est. Verbum, quod ab angelo prodibat, transiit ad os idque clausit, et pervenit ad uterum eumque aperuit. Idem verbum altera vice clausit uterum, quem aperuerat, ne amplius pareret, et denuo aperuit os, quod clauserat, ne amplius clauderetur. Decebat claudi os ejus qui apertionem uteri sterilis non credidit, et decebat claudi uterum, qui Ioannem pepererat, ne amplius pareret, ut hic unigenitus praeco fieret Unigenito. Zacharias, qui solus dubitavit, dubio suo generis humani dubium sustulit.

Per suam igitur incredulitatem omnes homines fidem edocuit. Quum Ioannes ex ore angeli viventis per annunciationem nasceretur, pater spirituali ejus nativitati non credidit; at quando e mortuo utero natus est, tum carnali ejus nativitati fidem adhibuit. Verum quia vivo ori non crediderat, os ejus per verbum emortuum est. Quoniam sterili utero magis credidit, quam angelo, labia ejus verbis sterilia facta sunt. Quum eum mutum factum viderent, festinarunt recte credere, intuentes eum qui male dubitaverat. Labia ejus ex festinatione verbis[1] offenderunt et silentio tradita sunt, ut tarditatem discerent, ne et alii festinatione offenderent. Quia Zacharias de Domino suo et de precibus suis dubitaverat, necesse erat, ut silentium ei imponeretur, ne quis in posterum de Deo et precibus dubitaret.

Quis unum ex effatis tuis, Domine, mente penetrare poterit? Plus est, quod relinquimus, quam quod capimus, sicuti sitientes, qui bibunt ex fonte. Nam verbum Domini juxta multas discentium perceptiones multos praebet aspectus. Dominus verbum suum multis coloribus depinxit, ut quisquis disceret, in id quod ei placeret, inspiceret. Varios thesauros in verbo suo condidit,

1. Locus ex cod. B emendatus. In textu edito falsa est verborum divisio.

ut quisque nostrum, ubi se exerceret, inde ditesceret. Verbum Dei arbor vitae est, quae ex omnibus suis partibus fructum benedictum tibi offert, sicuti illa rupes, quae in deserto aperiebatur, ut omnibus hominibus ex omnibus suis partibus potum praeberet spiritualem [1]. « Edebant, ait, spiritualem cibum, et bibebant potum spiritualem [2] ».

Cui ergo aliqua pars ex thesauro ejus contingit, ne credat, id solum, quod ipse invenit, in hoc verbo inesse, sed existimet, se id solum ex multis, quae in eo sunt, invenire potuisse. Nec propterea quod haec pars sola ad eum pervenit eique contingit, ipsum verbum exile et sterile dicat atque despiciat, sed, quia id capere non potest, propter divitias ejus gratias agat. Gaude, quod victus es, neque contristeris, quod te superavit. Sitiens gaudet, cum bibit, nec contristatur, quod fontem exhaurire non potest. Vincat fons sitim tuam, non autem sitis fontem vincat, quia, si sitis tua expletur, quin fons exhauriatur, denuo sitiens iterum ex eo bibere poteris. Si vero siti tua expleta fons quoque siccaretur, victoria tua in malum tuum verteretur. Gratias age pro eo quod accepisti, et propter id quod remansit et abundavit, noli contristari. Quod accepisti et ad quod pervenisti, pars tua est, et id quod remansit, tua est haereditas. Quod propter infirmitatem tuam una hora accipere non potes, aliis horis [3], si perseveras, accipere poteris. Nec mente maligna coneris, uno haustu sumere, quod uno haustu sumi nequit, nec ex ignavia desistas ab eo quod paulatim sumere possis.

Scripserunt digiti in tabula « Ioannes », quod nomen indicat, nos misericordia indigere. Digiti misericordiam petierunt per gratiam, quia labia clausa erant per justitiam. Exaudita est deprecatio tua ante Deum. Quum ergo Numen divinum praestaret,

1. S. Ephraemus narrationem Iudaeorum sequitur dicentium, ex rupe in deserto, a Moyse percussa, duodecim fontes ortos esse.

2. I Cor. 10, 4.

3. In textu edito h. l. adnotatur, in cod. A ad marginem legi ժամ, hora, pro ժամանակ, tempus; cod. B etiam habet ժամ.

quod preces rogabant, omni jure loquela ei ablata est, cui sapientiae sensus defecerat. Quamvis Deum supplici oratione implorasset et ipsa oratione testificatus esset, orationem posse rogare et Deum dare, tamen, quando prope erat, ut id quod rogabat, impleretur, dixit: Quomodo potest ita fieri? Itaque factum est, quod fieri noluit, quia rejecerat, quod fieri voluit [1]. Accidit ei aliquid, quod nunquam expertus erat, quia imperitus inventus est ejus quod jam diu noverat. Quoniam quod labia orabant, aures ejus non audierunt, exaruit fons, unde verba prodibant, ut potum suum auribus amplius non transmitteret.

Qua autem ratione, qui proprio auditu fructum non protulit, per aliorum auditum fructum proferre poterat? Nimirum Zacharias viros, qui filios non habebant, exemplo Abrahami patris eorum confortabat, et mulieres, quae liberis carebant, exemplo Sarae matris earum consolabatur, sicuti Deus et ipsum et uxorem suam ejusdem cum illis conditionis fecerat. Abraham enim et Sara loco parentum erant eis qui in eadem versabantur calamitate, et tamquam speculum omnibus hujusmodi afflictis proponebantur et oculi virorum et mulierum filiis carentium et sterilium ad eos respexerunt, ut et ipsi consolationem acciperent, sicut illi per Isaac, qui post nonaginta novem annos in utero Sarae formatus est. Zacharias Abrahamum patrem quidem suum reputabat propter fidem, sed ab eo disentiebat propter senectutem [2]. Itaque quia de eo dubitavit, qui naturam mutare potest, quum loqui vellet, loquendo impar fuit, ut eum qui omnium habet potentiam, agnosceret. Qui non credit, signo opus habet, per quod credat. Idcirco propter dubitationem animi ori Zachariae signum imposuit, ut intelligeret, eum qui loquentem naturam mutam facit, uterum quoque emortuum vivifi-

1. Haec sententiarum divisio juxta cod. B est.

2. Ita ad verbum. Sensus esse videtur: Dissentiebat ab eo propter senectutem, quae impedimentum prolis ei videbatur, quum Abrahamus senex prolis suae promissionem crederet.

care posse. Eo quod labia sua verbum gignere non poterant, credidit, senectutem suam filium procreare posse.

Exaudita est deprecatio tua ante Deum. Oratio petiit, Divinitas dedit, libertas rejecit. Hoc igitur loco docetur, orationem omnes petitiones posse proferre, Divinitatem omnia posse dare, et libertatem omnia posse vel accipere vel rejicere. Cæterum non convenit, maculas aspergere eis qui in omni vitae conditione [1] immaculati esse leguntur, sed dicendum est, pulcherimo radiantis angeli splendore Zachariam perterritum et perturbatum esse, idque non corde, sed lingua tantum, sicuti et alibi Scriptura dicit: « Exacerbarunt spiritum ejus et loquutus est labiis [2] ». Ideo in ore punivit eum angelus. Si enim corde dubitasset, corde eum punivisset. Veruntamen simul ac haec poena ei inflicta est, sacerdos a suo delicto absolvebatur.

Convertere corda patrum in filios. (Luc. 1, 17-24) Quia filii a Iudaismo ad antiquum paganismum transierant et a foedere Dei sui defecerant, ideo dixit: Convertet corda eorum, ut Domino omnium rerum iterum in veritate serviant, sicut et patres ipsorum. Praeparabit Domino populum perfectum. Eodem videlicet modo, quo Elias, qui zelo suo multos ad divinum cultum Domini sui reduxit. Si vero dicunt, hoc in fine mundi futurum esse, respondemus: Iam nunc [3] diversis opinionibus non sunt divisi patres a filiis, et filii a patribus, et idolorum cultui non amplius indulgent.

Et quod dicit: Abscondit se Elisabeth, scilicet ex tristitia de eis quae Zachariae acciderant [4]. Rur-

1. Ad verbum: « In omni natura sua ». In cod. B est: « In omni habitatione sua ». Confer, quae superius pag. 9. Nota 3. diximus.

2. Psalm. 105, 33.

3. « Nunc » ex cod. B additum est. Sensus est: Iam nunc populus Iudaeorum in hoc patribus consentit, ut unum Deum colant; quare verba Scripturae: « Convertet corda patrum in filios, et parabit Domino populum perfectum » jam in Ioanne impleta videmus, nec necesse est, eorum impletionem per Eliam in fine mundi exspectare.

4. Ad verbum: Ex tristitia Zachariae. Non dubito, genitivum objecti h. l. adesse.

sus abscondit se, quia eam pudebat, se decrepitam ad usum matrimonii rediisse. Alii dicunt, non ob senectutem se abscondisse Elisabeth. Nam neque de Sara scriptum est, quod se occultaverit, quamvis nonagenaria Isaac in utero haberet, neque de Rebecca, quum geminis gravida esset. De Elisabeth autem scriptum est, quod se absconderit quinque menses, donec scilicet membra filii sui formarentur, ut laetabundus coram Domino suo exultaret, et quia Mariae annunciatio prope erat.

Mense sexto (Luc. 1, 26-38); numerat enim Evangelista tempus, ex quo Elisabeth concepit. Dabit ei Dominus Deus sedem David, videlicet, quia praedictum erat: « Non deficiet dominator et princeps, donec veniet[1] ». Et quum angelus eam docuisset, omnia Deo esse facilia, dicens: Et Elisabeth soror tua concepit in senectute sua, tunc dixit Maria: Si huic ita contigit, ecce sum ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Licet propterea quod Angelus ad Mariam dixit: « Elisabeth soror tua », opinentur, Mariam ex domo Levi esse, tamen dicendum est, in una tantum serie proavorum prophetiam constitutam fuisse[2]. Permansit genus David usque ad Mariae sponsum Iosephum, cujus generatio naturalis fuit[3]. Propter genus David haec gloria facta est[4], quoniam in Christo et semen et genus ejus perfectum est. Tacet autem Scriptura de Mariae genere, quia viri genus numerare et recensere solet. Si moris fuisset, ma-

1. Gen. 49, 12.

2. Id est: Posteris David tantum, non autem etiam posteris Levi promissum est, Christum ex ipsis oriturum. Ad verbum haec sententia sonat: Tamen ad unum modum tantum causarum prophetia constituta est. Causas puto h. l. significare varias generationes, ex quibus ortus est Christus. Aucher vertit: « Tamen usque ad exemplum tantum desponsationis prophetia asseritur ».

3. Ad verbum: Ad modum viri fuit.

4. Cod. B praecedentia et sequentia ita jungit: « Cujus origo fuit modo naturali propter honorem domus Davidis. Itaque haec gloria facta est, ut in Christo perficeretur semen ejus. Tacet etc.

trum genus declarare et ostendere, recte aliquis et de genere Mariae quaereret. Quum autem Dominus una cum regno etiam sacerdotium abrogaturus esset, utrumque genus simul monstravit Iudae per Iosephum et Levi per Mariam [1]. Rursus David respectu patris, a quo Christus oriturus erat, in prophetia dixit: « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech [2] ». Quodsi, quia Scriptura dixit: « Elisabeth soror tua », ideo hoc dictum esse putas, ut manifestaretur, Mariam esse ex domo Levi, alio loco eadem Scriptura dixit, utrumque, Iosephum et Mariam, esse ex domo David [3]. Sed non dixit angelus ad Mariam: Tu es soror Elisabeth, sed « Elisabeth soror tua [4] ».

Si Maria ex alio genere esset, falsum esset, quod dicitur: « e domo David », et quod dixit angelus: Dabit ei Dominus Deus thronum David patris sui. Mariae filius est, et non Iosephi. Itaque non aliunde in carne apparuit, quam ex David, dicente Scriptura: « Germinabit virga ex radice Iesse, germinabit et florebit flos ex radice ejus [5]. Et Apostolus testatur: « Dominus noster Iesus Christus ex Maria factus est, ex semine domus David » et reliqua [6]. Rursus scribit ad Timotheum: « Memor esto Iesu Christi, qui a mortuis resurrexit, qui factus est ex semine David », et reliqua [7]. Porro invenimus, genera Iudae et Levi

1. Mariam cum tribu Levi cognatam fuisse, S. Ephraemus concedit, sed eam ex hac tribu descendere, in praecedentibus et sequentibus negat et refellit.

2. David in ps. 109, 3, praedicens, Christi sacerdotium non ex ordine Aaron, sed ex ordine Melchisedech futurum esse, simul significavit, Christum non ex tribu Levi oriturum, immo sacerdotium hujus tribus abrogaturum esse.

3. Verba Luc. 1, 26: « de domo David » non ad solum Iosephum, sed et ad Mariam, S. Ephraemus retulisse videtur.

4. Sensus fortassis est: Verba: « Tu es soror Elisabeth », indicarent, Mariam sequi cognationem Elisabeth i. e. a tribu Levi descendere, ut Elisabeth; verba autem: « Elisabeth soror tua » indicant, Elisabeth cognationem Mariae sequi, quare ex eis non necessario consequitur, Mariam quoque ex tribu Levi fuisse.

5. Is. 9, 1.

6. Rom. 1, 3.

7. II Tim. 2, 8.

invicem commixta esse, per Aaronem, qui sororem Naassonis, ducis domus Iudae, in matrimonium sumpsit, et per Iojadam sacerdotem, qui filiam Iorami principis domus David uxorem duxit [1]. Cæterum ipsum verbum angeli, qui propinquam cognationem Mariae et Elisabeth memorat, testatur, has tribus per matrimonia mixtas esse.

Et surgens abiit Maria ad Elisabeth, ut disceret, num revera ita ei factum esset, et ut de hoc certior facta, de eo quod ad se spectabat, non dubitaret [2]. Porro Maria surgens abiit ad Elisabeth, quae minor ea erat, sicut et Dominus ad Ioannem venit. Unde mihi hoc, quod venit mater Domini mei ad me? Videns Maria, etiam alios de donis sibi datis gloriari, Deum laudans dixit: Ex hoc beatam me [3] dicent omnes generationes. Ioannes ergo quum adhuc in lumbis Zachariae esset, sicut Levi in lumbis Abrahami, Domino jam ministravit eumque expectavit, quasi flos mensis Areck (Martii), tacite praedicans de uva, quae expressa est in medio Ierusalem [4]. Et quemadmodum flos quinque mensibus praecedit, donec sanguis uvae fieri incipit, ita et Ioannes prius conceptus est, ut conceptionem Adorandi adorando [5] praedicaret. Beata erit [6], quae credit, quia fiet impletio omnium verborum, quae facta sunt ei a Domino.

1. II Chron. 22, 11.

2. Ad verbum: Ne quoad se ipsam dubitaret. Quo sensu s. Ephraemus sic de Maria loquitur, in adnotatione paginae 49 textus impressi subscripta explicatur.

3. In solo cod. B est « me ».

4. In cod. B: Eumque exspectavit, florem scilicet, qui mense Martii tacite annunciatus et eodem mense expressus est tamquam uva in medio Ierusalem. « Qua lectione non Ioannes, sed Christus flos Martii appellatur et antiqua traditio memoratur, juxta quam Christus die 25 Martii conceptus et eodem die mortuus est. In lectione autem codicis A Ioannes vocatur flos Martii, seu antiquo nomine Arek, non propterea quod hoc mense conceptus est, sed quia Christo praecessit, ut flos Martii uvae maturae praecedit.

5. In cod. B hoc verbum deest.

6. Ad verbum « sit », sed in Armeniaco conjunctivus saepe futurum significat.

Quum Maria in abscondito sibi dicta ad Elisabeth retulisset et haec illi congratulata esset, quod credidisset et perficerentur ea quae prophetae eorumque discipuli audissent, tunc Maria fructum eorum quae ab angelo et ab Elisabeth audierat, suaviter protulit et: Magnificat, inquit, anima mea Dominum etc. Verbis Elisabeth: « Beata quae credidit », Maria sua verba opposuit: Beatam me dicent omnes generationes. Hoc igitur tempore et his verbis Maria novum regnum praedicare coepit. Post tres autem menses in domum suam reversa est hac ex causa, ne Dominus ante servum suum quasi famulus staret. Atque ad virum suum venit, ut res, quomodo se haberet, patefieret; si enim humanum foetum in utero portasset, fugisset potius a viro suo.

Concepit Elisabeth mense Sahmi [1], postquam Zacharias dies ministerii et officii sui complevit. Annunciatio Mariae evenit decimo die mensis Arek [2], sicut illa Zachariae decimo die mensis Hori [3]. « Hic mensis sextus est illi ». Lex praecepit, ut decimo die mensis Arek [4] includerent agnum (paschalem). Eodem die agnus verus in utero virginis inclusus est, quo tempore lux potitur imperio, et per hoc docuit, se venisse, ut Adami nuditatem obtegeret [5]. Natus est autem die sexto mensis Chaloz [6] juxta Graecam computationem, quo tempore sol vincere incipit, ostendens, diabolum victum esse et hominem vicisse in Eo qui omnia vincit.

1. In cod. B: « Mense Septembri ». Aucher vertit: « Sahmi (Octobri vel Novembri) ». Ita et mensis Sahmi in lexico Ciakciaki definitur. In calendario Syriaco codicis Vat. 37 haec leguntur: Die 23 Septembris Annunciatio Zachariae anno solari, anno autem lunari die 10 Octobris ».

2. Cod. B habet: Die 25. « Martii ». Sed notandum, numerum supra rasuram recentiori manu scriptum esse.

3. In cod. B: Die 11. mensis Septembris.

4. Cod. B: « Mensis Nisan ». Cf. Opera s. Ephraemi Syriaca, tom. II. pag. 415 B.

5. Sc. per hunc typum praefiguratus agnus verus, qui quasi vellus daret ad tegendam nuditatem Adami.

6. Chaloz juxta memoratum lexicon mensibus Decembri et Ianuario convenit. In cod. B et numerus diei et nomen mensis erasus est.

Exultavit prae gaudio Ioannes, munus praeconis sibi datum significans. Gaudens exultavit infans sterilis ante infantem virginis. Quaesivit Ioannes matris suae linguam, qua de Domino diceret prophetiam. Ac propterea per sex menses, donec membra infantis perfecta essent, conceptus Elisabeth abscondebatur Mariae, ut infans ante Dominum suum laetabundus exiliret et exiliendo Mariae testis fieret. Exultatio autem infantis in utero matris non ab ipso infante effecta est, nec inde, quod quinque mensium erat, provenit, sed ut gratia in utero sterili, qui eum conceperat, se revelaret et Virginis quoque uterus magnam cognatae suae gratiam cognosceret, mundusque crederet, filios earum per vocem annunciantis Gabrielis, qui utriusque quasi colonus erat, conceptos esse. Quia igitur Ioannes, quum exultaret, clamare et de Domino suo testificare non poterat, mater ejus dicere coepit [1]: Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. In emortuo utero Dominus noster praeconem suum praeparavit, ut ostenderet, se mortuum Adamum quaesitum venisse. Vivificavit prius uterum Elisabeth, et postea corpore suo vivificavit sepulchrum Adami.

Elisabeth in senectute peperit ultimum prophetarum, et Maria in juvenili aetate dominum angelorum. Filia Aoronis peperit vocem clamoris in deserto, et filia regis David Verbum regis coelestis. Uxor sacerdotis peperit angelum faciei ejus, et filia David fortem Deum terrarum. Sterilis peperit eum qui peccata remittit, et virgo eum qui tollit peccata [2]. Elisabeth peperit eum qui reconciliat homines per poenitentiam, et Maria genuit eum qui purificat terras ab immunditia. Natu major in domo Iacob patris sui accendit lucernam, quae est ipse Ioannes, et natu minor omnibus gentibus solem

1. In cod. B: Diffusus est spiritus ejus super matrem, quae coepit dicere etc.

2. Ita ad verbum habet textus utriusque codicis. Quum distinguitur inter « remittere peccata » et « tollere peccata », patet, remissionem hoc loco non esse plenam peccati sublationem, quam solus effecit Christus.

justitiae fecit oriri. Zachariae annunciavit angelus [1], ut occisus praedicaret eum qui crucifixus est, et is quem oderunt, eum quem ex invidia persecuti sunt, et is qui baptizavit aqua, eum qui baptizavit in igne et Spiritu sancto. Lucerna haud obscura [2] praedicavit solem justitiae, plenus spiritu datorem spiritus, tuba sacerdotis per tubam cecinit eum qui in voce tubae [3] novissimo die veniet; vox praedicavit Verbum et is qui vidit columbam, eum, super quem columba requievit, sicuti et fulgur tonitru praecedit.

Quo apparebit nobis sol oriens ex alto, illuminare tenebras nostras [4]. Stellam Magorum his verbis indicat. Qui sedebant in tenebris et in umbra mortis. De Magis hoc dictum est, quia ante ortum stellae a vera religione alieni erant, vel de Israelitis, qui in tenebris erant; Magi enim eos illuminarunt, quapropter et dicit: Dirigere pedes nostros in vias pacis. Rursus, quod « in umbra sedebant », de astrologia Chaldaeorum, vel de umbra idololatriae gentilium dictum est.

## CAPUT II.

Generatio Iesu Christi sic erat. Quum desponsata esset mater ejus Maria Iosepho, et antequam data esset viro, inventa est gravida a Spiritu sancto (Math. 1, 18-25). Hoc Evangelista non in sensu profano dixit, sicut gentiles in suis historiis fabulantur, deos suos ita abjectos fuisse, ut turpi oblectationi cupidinum et filiorum contra naturam procreationi se dederent. Ne igitur et tu,

1. Cod. B: « Zachariae annunciavit angelus et Mariae quoque annunciavit angelus, ut etc.

2. In cod. B « lucerna obscura », scilicet in comparatione cum sole justitiae.

3. « In voce tubae » addidi ex cod. B. Cf. Math. 24, 31; I Cor. 15, 52; I Thess. 4, 15.

4. Verba: "Illuminare tenebras nostras" in cod. B desunt.

quando hoc de Maria audis, talia suspiceris, qualia gentiles fabulantur, addit, eam gravidam inventam esse a Spiritu, non autem ex conjugio eam peperisse. Nam per sanctam ejus conceptionem aditus dabatur divinae Clementiae, ut habitaret in omni carne. Quod autem Maria prius desponsata est et nomen viri sui accepit et dein gravidata est, id propter seriem regum factum est, quia impossibile erat, ut infans nomine matris suae genealogiae inscriberetur, hac autem ratione filius David regibus adscriptus est. Vel propter mentem pravorum hominum id factum est, qui calumniam fornicationis Mariae ingererent, quare viro miti data est, qui eam, quum praegnans conspiceretur, retineret, et quum pareret, e domo non expelleret, sed cum ea habitaret et calumniis oppressae socium voluntarium se exhiberet. Testis hic erat Mariae apud omnes, filium ejus non ex adulterio ortum, sed ex virtute Spiritus conceptum esse.

Natus est autem sine viro. Quemadmodum ab initio Eva ex Adamo sine conjugio nata est, ita Maria Iosepho et virgo et uxor erat. Eva peperit occisorem, ideo Maria peperit vivificatorem. Illa peperit eum qui effudit sanguinem fratris sui, haec peperit eum cujus sanguis a fratribus suis effusus est. Illa vidit eum qui per maledicta terrae tremens et profugus factus est, et haec vidit eum qui maledicta sustulit et in ligno crucis clavis affixit. In virginis conceptione disce, quod, qui sine conjugio Adamum ex virginea terra protulit, is etiam Adamum secundum in utero virginis formaverit. Et quia primus homo in uterum matris suae redierat, per hunc secundum, qui in uterum matris suae non redibat, reductus est ille primus, qui in utero matris suae sepultus est [1].

1. Sensus est: Adam mortuus et in pulverem conversus per Christum in pulverem non conversum reductus est. In codice B haec ita habentur: Et quia primus homo in uterum matris suae redierat conversus est per hunc secundum hominem, qui in uterum matris suae non redierat.

Maria Iosepho persuadere studebat, conceptionem suam a Spiritu esse, at ille non assentivit, quia res erat inaudita et omnino nova. Quum Ioseph vultum ejus hilarem, uterum vero tumidum videret, pro sua justitia cogitabat, ut diffamationi et opprobriis eam non exponeret, sed tacite dimitteret, quia neque peccatum ejus noverat, neque de conceptione ejus, unde esset certus factus erat. Quapropter apparuit ei angelus et dixit: Ne timeas. Quod si dubitas, Isaiam audi prophetam dicentem: « Ecce virgo concipiet », et Daniel dicit: « Lapis dissectus sine manu ». Quod non est simile illi dicto: « Aspicite in montem et vallem », quo in loco virum et feminam innuit, hic vero dixit: « Sine manu [1] ». Sicut Adamus in creatione Evae vicem patris et matris explevit, ita et Maria in generatione Domini nostri.

Ioseph, qui vir justus erat, noluit traducere Mariam. Sed ecce, justitia ejus inimica et contraria est legi, quae dixit: « Manus tua primum incipiet lapidare eam [2] », ille vero eam occulte dimittere voluit. At Ioseph noverat, conceptionem hanc singularem esse et res a condicione mulierum [3] et a statu gravidarum nuptarum alienas accidisse, quae omnia indicia ei praebuerunt, unde cognosceret, a Deo hanc rem factam esse. Nunquam enim alicubi in Maria rem impudicam animadverterat, nec poterat ei non credere, quae multa testimonia habebat, Zachariam mutum, Elisabeth praegnantem, angeli annunciationem, exultationem Ioannis et prophetiam patrum ejus [4]; haec enim omnia cum aliis multis de conceptione virginis conclamabant. Quamobrem ex justitia cogitavit, ut tacite eam

1. Sensus est: Scriptura (quo loco, nescio) generationem naturalem per montem et vallem exprimit, Mariae vero virginis generationem Daniel describit (2, 34) imagine lapidis de monte sine manibus dissecti.

2. Ad sensum allegatur Deut. 17, 7. Sententia sequens in solo cod. B est.

3. Verba « a condicione mulierum » ex cod. B. addita sunt.

4. Etiam Aucher ita vertit. Patres Ioannis h. l. prophetas vocari existimo.

dimitteret. Si enim cognovisset, conceptionem ejus non a Spiritu Sancto esse, eam non traducere haud justum fuisset.

Attamen bene sciens, hoc opus Dei, etsi in se mirabile, aliis tamen esse incredibile, mente sua dijudicavit, justum esse, ut eam dimitteret. Rursus cogitavit [1], fieri posse, ut tantum opus ullo modo macula afficeretur, si invicem cohabitarent. Et uberius secum deliberans dixit: Haud scio, an mihi nullum peccatum oriatur, si pater appeller divini nati. Et timuit habitare cum ea, dicens: Ne forte dehonestem [2] nomen virginis. Propterea dixit ei angelus: Ne timeas, accipere Mariam. Prosequitur Scriptura: Sancte habitabat cum ea etc. [3]. Et ideo, ut nonnulli dicunt, Zachariam occiderunt, quia Mariam ad latus templi conservabat [4], nam virgines illae [5] ad unam partem templi congregabantur. Alii dicunt, Zachariam, quum in caede infantium ejus filius ab eo [6] exigeretur, quia illum per fugam in desertum servaverat, occisum esse ante altare, sicut Dominus dixit [7]. Dantur, qui dicere audeant, Mariam post nativitatem Salvatoris uxorem Iosephi fuisse. At quomodo fieri potuit, ut ea quae domus fuit et habitatio Spiritus, et cui divina virtus obumbravit, postea conjux mortalis hominis fieret et in doloribus juxta similitudinem primae maledictionis pareret? Quum enim Maria benedicta est in mulieribus, per eam soluta sunt maledicta

1. Ad verbum: « Juxta mentem ejus » sc. erat.

2. Ad verbum: « Perdam seu corrumpam nomen virginis ».

3. Sententia haec aperte intrusa est. In cod. B desunt verba: « Dicens: Ne fortasse etc ». usque « habitabat cum ea etc ». Sequentia quoque, quae de morte Zachariae narrantur, haud recte hoc loco posita videntur.

4. Aucher vertit: Quia Mariam inter virgines habebat. In Armeniaco idem vocabulum latus et virginem significat. Contextus meae versioni favet.

5. « Illae » ex cod. B additum est. Intellige virgines Deo sacras.

6. Ad verbum: « In manu ejus ». In Syriaco quoque dicitur: Exquirere in manu, pro: e manu.

7. Matth. 23, 35.

originalia, quibus filii in doloribus et maledictis pariuntur. Quae in his doloribus parit, non potest vocari benedicta. Sed sicut Dominus intravit portis clausis, eodem modo ex utero virginali exiit, quia haec virgo sine partus doloribus realiter et vere peperit. Si propter Noe bestiae castae [1] et mansuetae factae sunt in arca, decuit etiam virginem a propheta praedictam, in qua Emanuel habitavit, ad connubium non accedere. Bestiae Noe ex necesitate id fecerunt, Maria ex voluntate. Sicut concepit in puritate, ita in sanctitate permansit.

Si filii Aaronis, quia ignem profanum inferebant, occisi sunt, quantis poenis et ista affecta esset ? Et si lex mercatoribus aquam vino immiscentibus poenas indicit, quanto magis et hîc sententia damnationis sequuta esset. Si autem propterea quod quidam discipuli fratres Domini nominantur, existimant, hos filios fuisse Mariae, sciant, quod et ipse Christus appellatus est filius Iosephi, non solum a Iudaeis, sed et a Maria matre ejus. « Ecce ego, ait, et pater tuus tristes et anxii circumeuntes quaerebamus te [2] ». Quod angelus Iosephum jussit Mariam uxorem accipere, factum est, ut suspicionem ex mentibus expelleret eorum qui eam calumniaturi essent, maxime autem, ut Ioseph eam custodiret, ne ab eis qui de angelo propter conceptum suspicionem habebant, occideretur. Magnum quippe scandalum eis erat virginis partus, quia credebant et sciebant, in ejus partu urbem ipsorum dirutum et sacerdotium et regnum [3] sublatum iri. Idcirco etiam prophetam Isaiam occiderunt, quia virginem parituram esse [4] annunciaverat. Virgo itaque peperit primogenitum et virginitas ejus integra et inviolata permansit.

1. In cod. B: « quietae ». Sed lectio cod. A accurratius consonat cum explicatione s. Ephraemi de arca Noe. Cf. Opera ejus Syr. tom. I, pag. 150 C.

2. Ad verbum : " Ego et pater tuus tristes et cor in ore ibamus, circuibamus, quaerebamus te ". Cor in ore " phrasis est Armeniaca et significat anxium.

3. Cod. B addit h. l. " et prophetiam ".

4. In cod. B : " Concepturam et parituram esse ".

Ipse autem primogenitus nos in baptismo genuit et donis suis primogenitos fecit; in sinu enim baptismi non datur major et minor, quia omnes per fidem primogeniti sumus, et in nobis impletum est, quod Scriptura dicit: « Omne primogenitum, quod aperit uterum, sanctum Domino vocabitur ». Etenim nos per peccata sordidos et quasi aerugine corruptos baptismus concipit et ex utero suo ab iniquitate purificatos regenerat.

In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum[1]. Praepostere dicta sunt verba. Nam prius sumpsit eam et postea habitavit cum ea in sanctitate; sed ita legitur. « Habitavit cum ea in sanctitate et sumpsit eam[2]. Sumpsit eam, dicit Scriptura, quia post conceptionem vir ejus nominatus est. Vel verba: In sanctitate habitabat cum ea, ita intelligantur, quod nunquam concupiscentia ex adspectu illius in cogitationem ejus venit. Donec peperit primogenitum[3], i. e. in nativitate primogeniti crediderunt noveruntque, quod res est non humanae naturae, sed genitura divina[4].

Rursus: In Sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum. Haec sanctitas necessitatis erat, etsi accedente eorum voluntate, sed sanctitas, quam servabant post nativitatem Domini nostri, libertatis eorum erat. Hoc necessitatis tempus definivit ejusquem finem indicavit dicens: « Donec ». Porro: In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum[5]. Quod si ita est,

1. Hunc locum ex cod. B correxi. In cod. A ita sonat: " Donec peperit primogenitum Verbum. Hoc dictum est ,, etc.

2. Ubi hanc lectionem s. auctor invenerit, non indicat; ipse enim in praecedentibus hunc locum citat, quin verba " et sumpsit eam ,, adjunta habeantur.

3. In cod. B: " Filium suum primogenitum ,,.

4. Ita vertit Aucher. Ad verbum: Quod ea (sc. nativitas) non est natura (i. e. res) humana sed generatio divina. Possit et verti: Quod is (primogenitus) non est humana natura (i. e. merus homo), sed generatio divina.

5. In cod. B haec et sequens sententia ita se habent: Ejusque finem indicavit, dicens: Donec peperit primogenitum, in sanctitate cum ea habitabat. Si ita se res habet, post partum ejus

consequi videtur, Iosephum post partum non in sanctitate cum illa habitasse, quia dixit: « Donec ». Sed « donec » hoc loco non terminum quemdam significat, quemadmodum etiam in illo loco: « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedes tuos ». Secus enim diceretur, quando inimici sub pedes ejus positi sint, eum surrecturum esse. In sanctitate habitabat cum ea. Nonne ergo conjugium sanctum est, testante Apostolo et dicente: « Thorus eorum sanctus est [1] » ? Si vero dicunt: Ecce fratres Domini nostri in Evangelio nominantur, respondeo: Quia Dominus noster Mariam Ioanni tradidit, ostendit, nec hos filios Mariae, nec Iosephum ejus maritum fuisse. Quomodo enim is qui dixit: « Honora patrem tuum et matrem tuam », matrem a filiis separasset et Ioanni tradidisset?

Describebatur unusquisque in civitate sua (Luc. 2, 1-14), quia Israel dispersus et Iudaea subjugata erat et quia vera sunt testimonia illa in genealogia regum [2]. Dixit itaque, nativitatem Christi in diebus Augusti fuisse. Cur autem prima haec terrae descriptio tempore, quo natus est Dominus, facta est? Quia scriptum est: « Non deficiet princeps Iudae, neque dominator [3] ex lumbis ejus, donec veniet is cujus peculium (Iudas) est ». Ex eo quod in apparitione ejus descriptio facta est, manifestum fiat, tempore nativitatis ejus gentes dominari super populum, qui

non in sanctitate habitabat cum ea, quia dixit: " donec etc. ,,. In versione textus impressi signa interpunctionis mutavi et ex codice B particulam " non ,, recepi, secus enim sensus sanus accipi nequit.

1. Ad Hebr. 13, 4.

2. Ita textum impressum emendavi ex cod. A et B, in quibus verbo: « Dixit » nova sententia incipit. Notandum porro, genealogiam regum ad verbum in Armeniaco esse: « Domum originum regum ». Domus saepe in Syriaco idem est ac: index, collectio. Sensus hujus loci esse videtur: Haec descriptio facta est, ut evinceretur, Christum ex domo David esse, et genealogiam, quae Messiam venturum indicabat, vera contestari.

3. In cod. B ad hoc nomen in margine adnotatur: « Propheta ». Locus hic ex gen. 49, 15 est.

ipse antea regnabat[1], ut impleretur, quod dixit: « Et in eum gentes sperabunt[2] ». Illo igitur tempore venit, quia defecerat rex et propheta.

Hodie natus est vobis salvator. Non dicit: Natus est homo, ut hic fieret salvator, aut, ut hic fieret Christus, sed: « Hodie natus est vobis salvator », qui ipse salvator est. Nec dixit: Qui Christus Domini fieri debet, sed: Qui Christus Domini jam est[3].

Et quia initium erat pacis constituendae, angeli gloriam in excelsis proclamarunt et pacem in terra. Ast quum terricolae ad superos susciperentur, gloriam in terra clamitarunt et pacem in coelo. Quo tempore divinitas descendit et induit humanitatem, pacem in terris angeli proclamarunt; quando autem humanitas, unita divinitati, elevanda erat, ut sederet a dextris, parvuli pacem in coelis ante eum pronunciarunt, dicentes: « Benedictio in excelsis[4] ». Unde et Apostolus dicere didicit: « Pacificavit sanguine crucis suae id quod in coelo, et id quod in terra[5] ».

Rursus angeli « gloria in excelsis et pax in terra » dicebant et parvuli « pax in coelis et gloria in terra », ut ostenderent, sicuti gratia ejus et misericordia peccatores laetificat in terra, ita eorum poenitentiam angelos laetificare in coelis. Deo gloria ex libera voluntate[6], et iis quibus iratus erat, pax et reconciliatio, et iis qui rei erant, spes et remissio. A pastoribus exordium sumptum est, ne quis eorum qui in eremo versantur, animum demitteret, sed potius salvati in promissionibus veri pastoris pacem haberent. Gloria in excelsis Deo et pax in terra, non bestiis et brutis, sed spes bonis filiis hominum.

1. Locus ex cod. B emendatus. In cod. A falsa est sententiarum divisio.
2. Is. 11, 10 et ad Rom. 15, 12.
3. Verba praecedentia ex cod. B translata sunt, quia in cod. A nonnulla exciderunt. Doctrina Gnosticorum refutatur dicentium, Iesum per Aeonem immissum Deum et Christum factum esse.
4. Math. 21, 9. 15.
5. Col. 1, 20.
6. Idest: Ab eis qui ei voluntarie et lubenter serviunt.

Nunc dimittis servum tuum, quia consolationem populi portabat, et haereditatem Israelis in manibus tenebat [1]. Alia explicatio: Quum illum aspiceret, cujus populus Israel erat [2], dixit: Nunc dimittis servum tuum in pace, sicuti et legem et sacerdotium. Verba: « Dimittis servum tuum in pace », de Simeone quidem dicta sunt, sed et legem significant. Simeon et Moyses dimiserunt eam, nimirum in pace; non enim ex inimicitia facta est dimissio legis, sed in charitate et pace eam fecit cessare. Quod dicit: Ecce viderunt oculi mei misericordiam tuam, quam parasti ante omnes populos, consonat cum illo loco: « Eum omnes gentes expectabunt [3] ». Quod dicit: Ecce hic stat in ruinam et in resurrectionem, idem est, quod alio loco Scriptura dicit: « Ecce pono in Sion lapidem offensionis et qui in eum credit, non confundetur [4] ». Vel intellige: In ruinam et resurrectionem populi et gentium, vel in ruinam injustitiae et in resurrectionem justitiae.

Et in signum contradictionis et tuam ipsius animam [5], quia diversa cogitabant de eo multi haeretici. Nonnulli enim dicebant: Corpus impassibile assumpsit, alii dicebant: Non in vero corpore dispensationem suam perfecit [6]. Alii corpus ejus dicunt terrestre, alii coeleste. Iterum nonnulli dicunt: Prius extitit, quam terra, alii vero: Initium ejus in Maria fuit. Pertransibit gladius [7]. Gladius quippe, qui sepivit paradisum propter Evam, tollebatur per

1. Ad verbum: « Finem Israelis custodiebat ». Vox սահման infra quoque pag. 33, l. 13, « portio, haereditas » significat.
2. Gen. 49, 15.
3. Is. 11, 10.
4. Is. 8, 14 et Rom. 9, 33.
5. In utroque codice hic locus truncatus allegatur.
6. Ita juxta textum cod. B. Textus impressus falso habet: Dicebant: Non est verum, corpore, dicunt, perfecit dispensationem suam. Ex his s. Ephraemi dictis patet, Eutychen et Nestorium antiquorum errores repetiisse.
7. In cod. B: « Pertransibis gladium ». Idem in mox sequenti loco.

Mariam. Vel: « Pertransibit gladius » i. e. negatio [1]. Sed Graecus [2] clare dicit: Revelentur in multis cordibus cogitationes. Nimirum eorum qui dubitabant. (Et quod dicit: Pertransibit gladius i. e. et tu dubitabis, quia scilicet (Maria) credidit, eum esse hortulanum [3]). Admirabatur enim, aiunt, Maria et de nativitate et de conceptione ejus atque aliis narravit, quomodo conceperit et quare pepererit, et nonnulli, admirantes verbum ejus, confortabantur, alii vero erant, qui de eo dubitarent.

Apparuit stella, quia prophetae defecerunt (Math. 2, 1-15.). Cucurrit stella, ut explicaret, quis ille esset, ad quem prophetarum oracula festinantia currunt. Quemadmodum enim propter Ezechiam sol ab occidente orientem versus cucurrit, ita et propter Infantem, qui in praesepio erat, stella ab oriente occidentem versus cucurrit.

Priores igitur illi in signo solis Israelem vituperarunt, posteriores vero isti venerunt, ut eundem populum apportatis muneribus confunderent. Magi cum signis suis sicut prophetae venerunt et de ejus nativitate testimonium perhibuerunt. Hoc autem factum est, ut, quando appareret, non quasi peregrinus haberetur, sed potius omnes res creatae nativitatem ejus cognoscerent. Zacharias mutus factus est et Elisabeth concepit, ut universa terra de ejus adventu certior fieret.

Porro haec stella ipsa regebat cursum suum ascendendo et descendendo, ut stella vagans et non fixa, quum aëri coeli dominaretur, coelo enim non erat affixa. Disparuit autem, ne via recta Bethlehem venirent. Ad perturbandum Israel Deus stellam coram Magis abscondit, ut eis Ierosolymam venientibus Scribae nativitatem ejus explanarent et hac ratione verum testimonium et

1. Sc. illa, qua Iudaei Christum negabant.
2. I. e. Textus Evangelii graecus, qui saepius citatur.
3. Verba, in parenthesi a me posita, ut contextus probat, falso intrusa sunt, etsi in utroque codice habeantur. Ceterum et inferius, in expositione resurrectionis Domini, Maria mater Domini cum Maria Magdalene confunditur.

a prophetis et a sacerdotibus haberent. Porro hoc factum est, ne putarent, aliam dari virtutem praeter Requiem ejus [1], qui habitabat in Ierusalem, sicut et seniores a spiritu, qui erat in Moyse, accipiebant [2], ne quis putaret, alium esse spiritum.

Orientales igitur stella illuminati sunt, quia Israelitae sole obtenebrato [3] excoecati sunt. Primum igitur Oriens Christum adoravit, sicut dicit: « Oriens ex alto lumen dabit [4] ». Postquam stella ad Solem eos perduxerat, in termino suo constitit et postquam de eo praedicaverat, finem viae suae imposuit. Similiter Ioannes vox erat, quae praedicavit de Verbo; quum autem Verbum audiri coepisset et incarnatum esset et apparuisset, vox, quae viam paraverat, clamavit: « Eum oportet crescere, et me minui [5] ». Magi sidera adorantes, ut ad Lucem irent, non essent permoti, nisi stella lumine suo eos allexisset. Amor eorum, qui luci transitoriae alligatus erat, ad lucem, quae non transit, eos pertraxit.

Herodem vero, qui pro sua astutia Magos ad ipsum redire jussit, eosque decipere voluit, visio in somno decepit. Et acceperunt illi in visione praeceptum, ne redirent ad eum. Magi, qui vigilantes Herodem laudaverant, quod Christo nato non aemularetur; dixerat enim: Et ego veniam, adorabo eum, per somnum suum eum reprehenderunt, quod his dictis eis mentitus esset, quum revera illum occidere vellet. In visione moniti, ne ad eum reverterentur, quasi in speculo fraudem occisoris viderunt. Qui ergo mentem vigilantium fallere volebat, a dormientibus [6] deceptus est.

Existimavit Herodes, se Magos delusisse, quum eos sibi fidem praestare videret; at ipse ab eis per visionem

1. i. e. arcam foederis, quae Hebraice saepius « Requies Dei » vocatur.
2. In cod. B: Ut et seniores ex Spiritu Moysi loquebantur ». Cf. Num. 11, 17.
3. In cod. B: « Sole oriente ».
4. In cod. B: « Lumen videbit ». Cf. Luc. 1, 72.
5. Ioann. 3, 30.
6. Ita in cod. B. In textu edito: " Ab illusis ".

delusus est. Deludebatur itaque idem, qui deluserat, quando Magi per visionem cognoverunt, se ab illo esse delusos, quum diceret: « Et ego veniam et adorabo eum ». Quemadmodum enim propter Ezechiam signum datum est, quod omnibus vera praedicaret, ut per solem retrogradientem intelligerent, quis ille esset, qui eum a morte ad vitam reduxerat, ita etiam hoc sidus, licet propter Magos ostenderetur, tamen signum erat, quod omnibus creaturis per Magos praedicabat. Hac enim stella, quae praeter ordinem naturae hominibus subjiciebatur et viam eis monstrabat, monebantur, sperare in Deo, qui hominibus se submisit, ut viam ad regnum suum eis monstraret. Et quemadmodum sol in ejus morte obscuratus est, ut mundus mortem ejus cognosceret, ita et stella, quae orta erat, obscurata est, ut universa terra Filium, qui ortus erat, cognosceret.

In laetifica nativitate apparuit stella laetifica, et in tristi morte apparuerunt tristes tenebrae. Et sicut Ezechias per signum a morte visibili liberatus est, ita et Magi per signum a morte abscondita liberati sunt. Stella, qua duce Magi in via pergebant, ipsa quidem eis visibilis erat[1], facies autem ejus[2] abscondita, qua ratione Christo similis erat, cujus quidem lux omnibus hominibus lucebat, sed vestigia gressuum omnibus hominibus abscondita sunt.

Et aperuerunt thesauros suos et obtulerunt ei munera, aurum humanitati ejus, et myrrham morti ejus, et thus divinitati ejus; vel, aurum qua regi, et thus qua Deo, et myrrham qua mortali[3]. Rursus aurum, quia adoratio, quae coram auro fiebat, reditura erat ad dominum suum[4], et myrrham et thus,

1. Sententia haec correcta est ex cod. B. In cod. A relativum *ⲡⲉ* abundat.

2. Ita ad verbum. « Facies » h. l. corpus sideris significat.

3. Ita in cod. B. In textu impresso est: « Qua myrrhato », ut vertit Aucher, i. e. myrrhis condiendo.

4. I. e. adoratio, quae olim coram vitulo aureo fiebat, per Christum ad dominum adorationis redibat. In cod. B est: « Reditura est ». Sensus etiam hic esse potest: Adoratio, quae fiebat auro (per avaritiam), per Christum ad dominum auri (vel Christi) rediit.

quae medicum annunciarunt, qui vulnus Adami sanaturus erat. Qui Magos per revelationem monuerat, ne ad Herodem redirent, illis (Iosepho et Mariae) in revelatione praecepit, ut ex Aegypto ascenderent, quo ascensu duae implerentur prophetiae, una, quae dicit: Ex terra Aegyptiorum vocabo filium meum, et altera: Rachel plorabat. Implebatur, ait, verbum, quod dictum est per Ieremiam et reliqua.

## CAPUT III.

Et quum Herodes videret, quod delusus esset a Magis, iratus est valde et misit et perdidit omnes pueros (Math. 2, 16-23). At tu, injuste Herodes, nonne audisti, nuncium nuper nati regis fuisse stellam? Cur non perpendis, quum de coelis est, te operi coelesti resistere non posse? Quia Herodes matres carissimis suis filiis orbaverat, vindicta in tribus filiis et uxore ejus sumpta est, et ipse amara morte periit.

Herodes nescivit, qua ratione rem exploraret, obcoecatus enim aemulatione ad cognitionem pervenire nequivit. Sicuti unum oraculum prophetae Michaeae exquisierat, ita etiam oraculum Isaiae facile potuit indagare. Nam et familia et mater et civitas et tempus Messiae revelata erant; familia ejus de domo David, sicut Iacob dixerat, et mater ejus, quod virgo est, ut Isaias prophetaverat, et civitas ejus Bethlehem, ut Michaeas praedixerat, et tempus ejus, sicut dixerunt Magi. Porro ex descriptione terrae per Romanos didicerat, Iesum filium Iosephi inscriptum esse ab eis qui in tabulas eum retulerant [1]. Licet haec omnia novisset, tamen aemulatione inebriatus eum cognoscendo impar fuit. Sauli similis erat, qui, quum odor sanguinis David, quem si-

1. Ita in cod. B. In cod. A falso: « Qui eum invenerunt ».

tiebat, ei praesto esset [1], nescivit, eum a tergo ipsius stare. Salomon novit judicare et puerum meretricis dignoscere. Novit et Dalila cogitationem absconditam Samsonis explorare et ex corde ejus elicere.

Sed Pharao, quia familia et tempus liberatoris, qui Hebraeis nasciturus erat, revelata non erant, multos infantes perdere coepit, ut cum multis moreretur ille unus, quem perdere necessarium sibi videbatur. Attamen, sicuti Saul multis ex indiciis cognoscere poterat, se fortitudinem David superare non posse, sic et Herodes cognoscere potuit, se potentiae filii David non posse resistere. Sed odium non tantum intelligentiam et doctrinam non suscipit, sed etiam peccare et perdere festinat. Ejusmodi homines filii sunt Satanae, qui putavit, se posse occidere Moysen et perdere David et in crucem agere filium David. Immo et Cain, ejus discipulus, existimavit, se Deum decipere posse, quum diceret: « Num ego custos sum fratris mei », et Giezi Elisaeum et Iscariotes Dominum nostrum se decipere posse putabant.

Infantes occisi duplici sub respectu facti sunt testes Iustorum [2] occisorum et accusatores occidentium. Sicut enim Christum dicentem, se esse Deum, unanimiter expulerunt et ex patria ejecerunt, ita etiam ejus causa infantes ignorantes et innocentes occiderunt, antequam praedicatores ejus fierent. Vox audita [3] est in Rama, Rachel plorabat filios suos. Bethlehem ad Iudam, filium Liae, pertinebat; quare ergo plorabat Rachel filios suos, quia non erant, id est, alicubi non erant, ut morerentur pro Christo? Plorabat Rachel, quia Redemptor non ex filiis ipsius natus est, quum Lia figura prioris populi et Rachel figura ecclesiae sit [4]. Sed « sterilis, ait, peperit et plures

1. Ad verbum: Quum gustus sanguinis David, quem sitiebat, in sua manu esset.
2. Cod. B: « Prophetarum ».
3. Ad verbum: « Clamata est ».
4. S. Auctor Cristum ex Lia i. e. sub antiquo testamento natum esse asserit, de quo Rachel plorabat, nesciens, sibi majora promissa esse.

facti sunt filii viduae, quam conjugis [1] ». Vel quia confines erant tribus Benjamin et Iudae. Scriptum enim est: « Mortua est Rachel stadio uno ad introitum in Ephrata, quod est Bethlehem [2], sicut et Moyses in sua benedictione de Benjamin dicit: « In medio humerorum ejus habitabit », quia arca foederis [3] in urbe Ierusalem, quae fuit haereditas Benjamin, reposita erat. Quumque Samuel Sauli signum daret, quando unxit eum regem super Israel, dixit ei: « Ecce, occurrent tibi tres viri in Zelzach [4] apud sepulchrum Rachelis in confinibus Benjamin ».

Rachel plorabat filios suos. Plora, Rachel, nequaquam, sicut illo primo planctu, quo plorasti, quando hostes [5] filios tuos aggressuri erant, sed plora super eos qui occisi in platea projecti sunt, non ab alienigenis, sed a filiis patris ipsorum Iacob [6]. Attamen coërce vocem tuam a lamentis, quia merces tuarum lacrymarum quasi chirographo cauta est eis qui cum filio David nascentur, eo videlicet tempore, quo ille nascetur, ut tempore adventus praedicatores et laeti ejus nuncii fierent. Vide, quomodo isti filii tui locum [7] principalem acceperunt in Ierusalem, quae sursum est, matre nostra, quam laudamus, quae Moysi apparuit in monte; haec facta est eorum haereditas. Sed expecta [8] et consolationem accipe in filio tuo electo Saulo, qui et Paulus, qui te consolabitur et merces erit dolorum tuorum et lacrymarum tuarum.

Quum vidisset, quod delusus esset a Magis. O Israelitae caeci, quia non intelligitis, surdi, quia non auditis, et ne nunc quidem excitatis estis ad

1. Is. 54, 1.
2. Gen. 35, 19.
3. Ad verbum: « Requies ».
4. Ita in cod. B. Cf. 1 Sam. 10, 2. In textu impresso ultima syllaba *առ* a voce *ծղծախ* separanda est.
5. Sc. Babjlonii.
6. Iudaei saltem executores crudelis mandati Herodis erant.
7. Ad verbum « terminum ». Aucher vertit « finem ». Rectius: Meta, vel portio, haereditas vertatur, ut supra ad pag. 28, Nota 1, dixi.
8. Ad verbum: " sta, mane ".

vocem Isaiae dicentis: « Dabit vobis Dominus Deus signum [1] ». Si in alio quodam signum dedisset, dixisset utique; sed non in alio, sed in isto, qui ex virgine erat, signum datum est vobis h. e. omnibus vobis. Moysi hoc signum datum est, ut ipse solus et privatim tamquam per mysterium suaderetur, sicut et Gedeoni et Ezechieli [2] idem signum revelabatur. Sed quod illis privatim dabatur, nonne id tamquam opus manifestum et vera typorum legis vestrae revelatio per Magos vobis missum est? Quare ergo non cognoscitis tempus redemptionis et creditis in partum Virginis? Aut forsitan cum illo rege vestro in stupiditate sedetis et expectatis [3], donec Magi altera via ad vos revertantur, et denuo vobis de eo narrent?

Nonne sufficit vobis, alienigenas venisse et vos excitasse, ut intelligatis, Christum in lucem editum esse? Aut forsan vos quoque consilium approbastis regis vestri homicidae, Pharaonis secundi, ex semine Chanaan Ascalonitae [4]? Saul quum audiisset, sacerdotes Davidi, quem non cognoscebant, opitulatos esse, misit et jussit eos adduci et occidi. Iure ergo vobis accidit, ut sanguis hic justus vobis imputaretur [5], ut et Saul sanguinis David reus fiebat, et recte filius David, ex manibus vestris liberatus, ad gentes transiit. Persecutionem passus est David a Saul, sicut et Filius ejus ab Herode. Interfecti sunt sacerdotes propter David, et infantes propter Dominum nostrum. Ex sacer-

1. Is. 7, 14.

2. S. auctor h. l. asserit, Moysi, Gedeoni et Ezechieli mysterium virginei partus per typos revelatum esse, sed ita, ut ipsi soli hoc mysterium intelligerent, nec eis liceret, id populo aperte et sine typis communicare.

3. Ad verbum: "Sedebatis et expectabatis „. Sed imperfectum h. l., ut saepius, pro praesenti adhiberi, ex contextu liquet.

4. Id est, Herodis, ex Ascalon orti.

5. Ad verbum: "Ut sanguis justus collis vestris appenderetur „. Sensus est: Saul pro David sacerdotes occidens reus factus est mortis ipsius David; ita et Iudaei, qui cum Herode pro Christo infantes occiderunt, reos se fecerunt mortis Christi. Cf. Math. 23, 35.

dotibus Abiathar liber evasit, sicut Ioannes ex infantibus. In Abiathar ablatum est sacerdotium domus Heli, et in Ioanne ablata est prophetia filiorum Iacob.

Quia Israel, qui ex Aegypto eductus et per mysterium filius nominatus est, adoptionem suam perdiderat, Baalum adorans et idolis odores accendens, ideo Ioannes, generationem viperarum eum appellans, nomen conveniens ei dedit. Perdito filiorum adoptivorum nomine ex gratia diebus Moysis eis tributo, aliud nomen operibus suis congruens per Ioannem acceperunt.

Quum Dominus in terram Aegyptiorum intrasset et iterum exiisset, dicit Evangelista: Tunc impletum est verbum, quod dictum est per prophetam, qui ait: ex Aegypto vocavi filium meum. Et quod dicit: Nazoraenus vocabitur, quia nimirum virga Hebraice Nazor sonat et propheta eum vocat filium Nazor (filium virgae), quoniam revera virgae filius est [1]. Sed Evangelista, quod in Nazareth nutritus est, huic simile esse videns dixit: " Nazoraenus vocabitur ". Prophetia penes Ioannem, sed mysteria prophetiae penes Dominum Ioannis, sicut sacerdotium penes filium Zachariae, et imperium et sacerdotium penes filium Mariae. Per Moysen est lex (Ioa. 1, 17) et signum agni, et multi typi Amalec [2], aqua, quae dulcis facta est, et serpens aeneus, sed veritas ejus [3] per Iesum Dominum nostrum. Baptismus Ioannis superior erat lege, sed inferior baptismo Christi, quia nemo in nomine (Trinitatis [4]) baptizabatur usque ad tempus exaltationis ejus (Christi [5]).

1. S. Ephraem Nazor pro Nazer legit in Is. 11, 1. " Virgae. filius ,, seu " sceptri filius ,, socium regni significat.

2. Signum scilicet in Amalecitis, quum Moyses manibus extensis oraret, donec Amalecitae vincerentur.

3. Silicet legis. In cod. B: eorum, sc. typorum modo memoratorum.

4. In cod. B: " In nominibus ,,. Dubium non est, h. l. formulam baptismi Christiani significari.

5. S. Ephraemus h. l. baptismum discipulorum Christi (Ioan. 4, 2) cum baptismate Ioannis eodem loco ponere videtur, quia baptismum Christi invocato Trinitatis nomine post ascensionem Christi exordium sumpsisse affirmat. Paulo inferius autem asse-

Exiit Ioannes in desertum, non ut ibi ferox fieret, sed ut in deserto ferociam terrae habitatae domaret, quia libido in terra habitata et quieta ut ferox bestia omnia perturbat; quum autem exit in desertum, quieta fit et tranquilla [1]. De quo tibi libido Herodis persuadere potest, qui in terra habitata et in quiete ferox in fratris suis uxorem illegitimi amoris furore agebatur, ita ut mitem et sobrium Ioannem perderet, qui quiete in deserto degebat et ne matrimonio quidem, quod lex permittebat, junctus erat. Et verbum caro factum est et habitavit in nobis [2] (Ioa. 1, 14) i. e. Verbum Dei per carnem, quam assumpsit, habitat in nobis. Sed non dixit « apud nos », sed « in nobis », ut ostenderet, quod carnem nostram propter nos induit, sicut dixit: « caro mea cibus [3] ».

Miserunt Iudaei ad Ioannem et dicunt ei: Tu quis es? Ille confessus est, dicens: Non sum Christus. Dicunt ei: Elias es tu? Dicit: Non (Ioa. 1, 19-28). Sed ecce, Dominus Eliam eum vocavit, sicut Scriptura testatur; et quando interrogarunt eum, dixit: « Non sum ego Elias ». At Scriptura non dixit, in forma corporis Eliae Ioannem venisse, sed virtute et spiritu Eliae. Non ille Elias, qui elevatus est, venit ad eos, quemadmodum nec David ipse rex eorum factus est, sed Zorobabel [4]. Nec Pharisaei Ioannem interrogaverunt: Num spiritu Eliae venis, sed: Num tu es ipse Elias? Ideo dicit: Non

rit, Christum a Ioanne baptizatos denuo baptizasse et hac ratione verum suum baptisma revelasse et finem baptismatis Ioannis monstrasse. S. Ephraemus ergo sibi non constans deprehenditur.

1. Cognosce ex his verbis auctorem Ephraemum, laudatorem eremitarum.

2. Haec verba ex Ioanne 1, 14 hoc loco posita sunt, quia et in Diatessaron Tatiani, ut Latina Editio testatur, post Luc. 3, 3 allatus erat locus Ioan. 1, 7-18, ex quo s. Ephraemus v. 17, et dein v. 14 explanat.

3. Ioann. 6, 56.

4. Quibus verbis s. Ephraemus docet, prophetiam, qua Davidi salvator ex semine suo promissus est, etiam ad Zorobabelem, qui populum Israel ex captivitate Babylonica reduxit, referendam esse.

sum. Ad quid opus erat persona Eliae, si apud Ioannem opera Eliae reperiebantur? Ne autem Ioannes ab eis redargueretur, quod Elias per currum sacratum elevatus esset, ipsius vero caput puella contaminata in disco sustulisset, ideo Elisaeus intravit mediusque inter Ioannem et Eliam constitit. Si Ioannem mendacii arguere vellent, Elisaeus redarguens se opposuit, qui eis certa erat auctoritas, quia crediderunt, eum duplicem spiritum praeceptoris sui accepisse. Quod si ita se habet, duabus vicibus et duobus curribus Elisaeus in coelum elevandus fuisset, forsitan et in coelum coelorum. Inde liquet, Elisaeo virtutem Eliae cum ejus operibus datam esse. Sed nec omnia opera Eliae ei data sunt, sed similitudo operum, secus enim dubium esset, an utilia fuissent. Attamen nisi spiritum Eliae duplicem Elisaeum accepisse Scriptura diceret, non manifestum factum esset, majus donum eum accepisse [1].

Qui miserunt ad Dominum et interrogarunt: « Qua ex potestate hoc facis », iidem miserant ad Ioannem. Qui quum non venisset, ut rebelles doceret, ea, de quibus interrogabant, eis non indicavit. Quum interrogantes non ii essent, qui, quis vere Ioannes esset, discere vellent, sed imperantes ei dicerent: Tu quis es, qui hoc facis? etiam Ioannes non ut discipulis, sed ut rebellibus respondit, et ad omnia, de quibus quomodocumque eum interrogabant, dixit: Non sum Christus et non Elias et non propheta, sed vox, quo ne Ioannem, ne hominem quidem se vocavit, quamquam et propheta et Elias et Christus [2] esset. Sed illis, qui eum interrogabant, Ioannes ne unus quidem ex his modo nominatis erat, sicut et Dominus noster quibusdam dixit: « Non sum bonus », quamvis bonus esset.

Quemadmodum vox lucem annuncians [3] ad ostium aurium, ita et splendor lucernae ad ostium pupillarum

1. Ex cod. B verti hanc sententiam, quia in cod. A aliqua verba excidisse videntur.
2. Christus i. e. unctus fuit Ioannes, scilicet gratia Dei.
3. Id est: gallicinium.

pulsat, sicut et scriptura socia est vocis. Unum enim sunt [1] lucerna et gallus, sicut et Elias et Ioannes. Gallus sua voce ad audiendum nos excitat, et imago est vocis Suscitatoris nostri; et lucerna splendore suo imaginem lucis Illuminatoris nostri nobis repraesentat. Quare hi duo utrobique compresserunt tenebras [2] et imago sunt Patris et Filii, qui destruxerunt malitiam, et imago Prophetarum et Apostolorum, quia ex utraque parte solem adjuverunt.

Sed et intellige, Ioannem quem facem appellavit is qui os ejus flammeum fecerat, imaginem esse Eliae, qui lingua sua malignos combussit et flammis oris sui siccitate et siti punivit. Rursus gallus, qui in silentio noctis cantat, imago est Ioannis, qui in silentio deserti praedicavit. At si lucerna tempore vespertino apportatur, gallus, qui solummodo mane cantat, cum ea non invenitur. Verum in Ioanne cum voce diluculi inventa est lucerna vespertina [3], ut de Eliae adventu, qui modo mysterioso in Ioanne evenit, testificaret.

Ioannes ergo vox est, sed verbum, quod sonat in voce, Dominus est. Vox eos suscitavit, vox eos vocavit et reduxit, Verbum autem dona sua eis distribuit. Quantum peccatum, tanta et poena [4]. Paululum a religione recesserunt et paululum eos punivit. « Et perdet ramos sylvae securi », dixit Isaias [5]. Ramos dixit, non radices. Quum autem mensura peccatorum eorum impleta esset, venit Ioannes et radicitus arborem extirpavit. Ecce, securis pervenit usque ad ra-

1. Cf. I Cor. 3, 8 : Qui plantat et qui rigat, unum sunt.

2. Ad verbum : Quare inter duos compresserunt tenebras, mysterium Patris et Filii. Sensus esse videtur : Elias et Ioannes uterque sua ex parte errores et vitia insectatus est et hac ratione Patrem et Filium imitati sunt. Possunt autem haec verba etiam ad gallum et lucernam referri, quia noctis tenebrae inter lucernam, qnae vespere accenditur, et inter gallicinium concluduntur.

3. Elias in fine mundi venturus, recte h. l. cum lucerna vespertina comparatur.

4. Hic incipit explicatio verborum : " Securis ad radicem arboris pervenit „.

5. Is. 10, 34. Hoc citatum cum Peschito ad verbum consonat.

dicem arboris (Math. 3, 10), quod Isaias praetermiserat. Et quando hoc factum est, nisi oriente illo Vero in lege [1], cujus nomen [2] virga et flore designatum est, super quem Spiritus, qui septiformis vocatur, quievit.

Ego et pater tuus dolentes et moerentes ibamus et quaerebamus te (Luc. 2, 47-48), Ad quod respondit: In domo patris mei oportet me esse. Quaesierunt eum, quia anxii erant, ne forte quum occiderent. Sed eum duorum esset annorum, hoc ei facere cogitarant (Iudaei) cum suo principe Herode [3]. Et veste ex pilis cameli indutus erat Ioannes (Math. 3, 4), quia nondum tonsa erat sancta ovis nostra.

Ex lapidibus istis Deus potest suscitare filios Abrahami (Math. 3, 9; Luc. 3, 8). i. e. ex adoratoribus lapidum et lignorum. Sicut et dicit: Patrem multarum gentium feci te [4]. Ioannes ab omni peccato animam suam immunem custodivit, quia eum erat baptizaturus, qui sine peccato erat. Ne mireris [5], Ioannes, quod tu me baptizas, quum olei baptisma a muliere sim accepturus. « In diem, ait, sepulturae meae hoc conservabit [6] », quibus verbis mortem suam baptismum vocavit. Ad puteum Eliezar Rebeccam, ad puteum Iacob Rachelem, ad puteum Moyses Sephoram desponsavit. Qui omnes typi erant Domini nostri, qui ecclesiam in baptismo Iordanis sponsam sibi fecit. Quemadmodum Eliezer ad fontem stans monstravit Rebeccae dominum ejus Isaac, qui tunc temporis in agrum prodibat, ut ei obviam veni-

1. Ad verbum in cod. B: " Illo Vero legis „ i. e. Deo vero, per legem revelato. In cod. A solum est: " illo Vero „.

2. Sc. nomen Nazaraenus, cujus etymon " Nezer „ in Hebraeo florem significat, ab auctore autem supra pag. 36 « virga » explicatum est. Innuitur ad Isai. 11, 1-3.

3. Hoc loco s. Ephraemus aperte dicit, Magos ad Christum post biennium venisse, fultus auctoritate Mathaei c. 2, 16.

4. Gen. 17, 3.

5. His verbis explicare incipit Math. 3, 14.

6. Ioa. 12, 7.

ret, ita et Ioannes de fonte Iordanis fluvii Salvatorem nostrnm monstravit ». Ecce, hic est agnus Dei, hic est, qui venit, tollere peccata mundi [1].

## CAPUT IV.

Et ipse Iesus erat annorum quasi triginta (Luc. 3, 23), quando venit, ut baptismum a Ioanne acciperet, quod fecit, ut confunderet Marcionitas. Si enim carnem non induit, ad baptismum cur accedit? Divina enim natura baptismo non indigebat. Porro, quod triginta annorum erat, id quoque de humanitate ejus nos certos reddit. Et dicit: Permitte nunc, ut omnem justitiam impleamus (Math. 3, 15), quemadmodum a sacerdotibus liberatores et reges unctionem et legem acceperunt. Sicut carne se vestivit, et tamquam indigentiis subjectus apparuit, ita et ad baptismum accessit, ut de vera sua humanitate testaretur, magis autem, ut baptismo suo Ioannis baptismo finem imponeret, quia denuo baptizavit eos qui a Ioanne baptizati erant. Qua ratione ostendit et manifestum fecit, Ioannem tantum usque ad ipsius adventum baptisma ministrasse, quia verum baptisma per Dominum nostrum revelatum est, qui a poenis legis id immune fecit [2].

Et dicit: « Permitte nunc », ne quasi fur in caulam suam intraret et ut confunderet Pharisaeos, qui superbi baptisma Ioannis spreverunt, simulque honoraret humilitatem praeconis sui, ut dictum est: « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur [3] ». Et quia Ioannes confessus erat: « Ego non sum dignus, solvere corrigiam calcea-

1. Ioa. 1, 29-36.
2. Ad verbum: « Qui justificavit illud a poenis legis », i. e. accipientes baptismum suum a poenis legis liberavit.
3. Math. 23, 12. Luc. 14, 11; 18, 14.

mentorum ejus [1] », Dominus noster dextram ejus sumpsit et super caput suum posuit. Sine modo, ut impleamus omnem justitiam, quia Ioannes quasi calcaneum legis (lex et Prophetae usque ad Ioannem [2]) Christus autem initium est novi testamenti. Christus itaque per baptismum justitiam veteris testamenti induit, ut perfectam unctionem acciperet eamque plenam et integram discipulis suis traderet; nam baptismum Ioannis unacum lege ad finem perduxit. Christus baptizatus est in justitia, quia sine peccato erat, sed ipse baptizavit in gratia, quia reliqui homines peccatores erant. Legem abrogavit justitia sua et baptismum baptismate suo abolevit.

Porro : « Impleamus omnem justitiam », quia Ioannes janitor erat ovilis, in quo grex Israelitarum congregatus et collectus erat. Intravit igitur Dominus in gregem, non vi, sed justitia. Et Spiritus sanctus, qui super eum, quum baptizaretur, quievit, testatus est, eum esse pastorem ; per Ioannem enim propheticam et sacerdotalem dignitatem [3] accepit. Regiam dignitatem domus David per nativitatem acceperat, quia ex domo David ortus erat, sacerdotium vero domus Levi per secundam nativitatem in baptismo filii Aaronis. Qui jam credit, secundam nativitatem ei fuisse in terra, ne dubitet, eum per posteriorem hanc nativitatem in baptismo Ioannis accepisse sacerdotium Ioannis [4]. Quum illo die multi baptizarentur, Spiritus super unum descendit et quievit, ut, qui visu a ceteris non distinguebatur, hoc signo ab omnibus discerneretur. Et quia in baptismo ejus Spiritus descenderat, ideo per baptismum ejus Spiritus dabatur. Statim Spiritus sanctus eduxit eum in desertum, ut tentaretur a diabolo (Math. 4, 1-11). Quare usque ad tricesimum

1. Marc. 1, 7 ; Luc. 3, 16. (Ioa. 1, 27).
2. Luc. 16, 16.
3. Ita in cod. B. Cod. A falso addit : Et regiam dignitatem.
4. Sensus esse videtur : Qui majus credit, credat et minus. Qui credit, Christum per baptismum secundam nativitatem accepisse, credat etiam, eum a Ioanne sacerdotium accepisse.

annum eum non tentavit? Quia signum manifestum divinitatis ejus de coelo datum non erat et humilis ut quilibet alius homo apparebat, nec magnifica testimonia in populo habebat, Satanas tentationem ejus prætermisit, donec haec fieri inciperent. Et quum audisset: « Ecce venit agnus Dei et is est, qui tollit peccata mundi », valde quidem obstupuit, sed exspectavit, donec baptizaretur, ut videret, utrum tamquam baptismo indigens baptizaretur.

Quumque ex lumine super aquas exorto et ex voce de coelo delapsa cognovisset, eum ut indigentiarum expletorem in aquam descendisse, non vero ut indigentem ad baptismum venisse, secum perpendens dixit: Nisi in certamine et per tentationem eum probavero, cognoscere non potero, qui ille sit. Rursus hoc ideo factum est, quia Beneficum non oportuit, ut voluntati ejus qui ad eum tentandum venit, resisteret. Quinimmo ille nec ausus esset eum tangere et deducere, quia, quomodo eum tentaret, nescivit. Satanas non prius ad tentandum accessit, quam Dominus ad certamen ipse se paravit, et virtutem Spiritus ad dimicandum induit.

Eduxit eum Spiritus sanctus in desertum, ut tentaretur a diabolo, cui ex sua mansuetudine resistere noluit, ne forte audientes animum deponerent, opinantes [1], eum propterea quod in certamine praevalere non posset, cum tentatore suo congredi noluisse; et praesertim, ne quis infidelium praetextum haberet dicendi, Spiritum Filio posteriorem et inferiorem esse. Si ad certamen et pugnam tantum eum eduxisset, non autem ad honorem quoque et quietem, recte forsitan dubia mentem disputatorum, qui haec perscrutari conati sunt, subiissent. At si Filio inferior est Spiritus, quare Spiritui data est potestas educendi eum in desertum? Nam tamquam potestate praeditus apparuit, quum eum educeret. Quod autem Spiritus eum eduxit in desertum, ut tentaretur a diabolo,

1. Sententia haec ex cod. B correcta est. In cod. A lacuna est, quae falsa conjectura in textu impresso expleta est.

idem est, quod alio loco dicitur: « Nemo potest intrare in domum fortis et depraedari thesaurum ejus, nisi prius fortem ligaverit et tunc thesaurum ejus depraedabitur [1] », Ligavit itaque fortem et intus in domo ejus devicit, deinceps initium fecit praedicationis. Praeterea viam nobis aperuit jejunii, quo Satanae fallacias vinceremus.

Et postquam quadraginta dies jejunavit, esuriit, quod factum est ad vincendum adversarium, ut eum tanquam reum atque damnatum coram omnibus traduceret, simulque verbis suis nos docuit, in ejusmodi circunstantiis solum verbum Domini nos esurire debere. Cur autem de Moyse et Elia nullibi indicatur, eos esuriisse, de Domino vero scribitur, quod esuriit? Puto, primum ea de causa, ut Scriptura confunderet eos qui dicerent, eum carnem non assumpsisse; deinde, ut occasionem daret Satanae, adeundi tentandi et dicendi: Dic lapidibus istis, ut panis fiant. Quod Dominus non fecit, ne voluntatem faceret peccatoris. Quod diabolus de porcis rogabat, id ei concessit, non ut ejus in aliquo voluntatem impleret, sed ut signa ederet, quia nemo ex urbe Gergesenorum ad ipsum exire voluit, donec ibi miraculum faceret.

Diabolus prima tentatione non confusus, eduxit et statuit eum super angulum templi. Et ecce, usque nunc erectus stat locus ille, etsi templum destructum sit, sicut ipse dixit: « Non remanebit in eo lapis super lapidem [2] ». Sed locus, super quem steterat, tanquam signum conservatus est. Dicit ei: Projice te deorsum in terram, quia scriptum est, quod custodient te, ne unquam offendat ad lapidem pes tuus. O tentator! si in Christo impletur psalmus, nonne ibi etiam scriptum est: « In medio dorso suo suscipiet te [3] ». Fieri

1. Math. 12, 29.
2. Math. 24, 2.
3. Ita revera legitur in psalterio Armeniaco in psalmo 90, 4, ubi Vulgata habet: « Scapulis suis obumbrabit tibi », et versio Syriaca: « Pennis suis liberabit te ». Sensus est: De angelo te

autem nequit, ut volucres cadant, quia aër sub alis earum quasi terra solida est. Nonne rursus scriptum est: « Super aspidem et basiliscum ambulabis [1] ».

Sed id quo opus ei erat, ex Scriptura didicit et quod ei contrarium erat, omisit. Ita et haeretici ex Scriptura sumunt, quod pro scandolosa sua doctrina ipsis opus est, et omittunt, quod errori suo contradicit, ut hac ratione manifeste illius magistri discipulos se ostendant.

Iterum sumpsit eum et duxit in montem quemdam excelsum valde et dicit ei: Mea sunt regna omnia (Luc 4, 6). Propter haec verba insanientes putant, diabolum peculium aliquod habere. Hîc quoque valet, quod supra dixi: Quod eis contrarium est, omittunt et alia, quae eis favent, assumunt. Si ideo, quia dixit: « Mea sunt », ei attribuunt aliquod peculium, tantum abest, ut ab illis nos doceamur veritatem, ut illi eo quo vincere putant, magis convincantur. Perpendant enim verba, quae subjungit: Mihi datum est, quae docent, alium esse horum creatorem, a quo ei data sunt. Porro dicit: Potestatem habeo ego super omnia haec, non quasi natura sua potestatem haberet, sed quia ipsi homines voluerunt; dicit enim Scriptura: « Cui vos ipsos praebetis in servitutem et subjectionem, servi estis ejus [2] » etc.

Cades in faciem tuam et me pronus adorabis, quae verba superbiam et audaciam illius, qui ab initio Deus esse voluit, clare ostendunt. Caro Domini nostri omnes carne indutos monet, nudum ad certamen descendentem superatum iri, caro enim Christi prius arma abstinentiae induit, et postea subiit certamen. Armis itaque validis opus est contra eum qui sagittas mittit ardentes et exquisitas. « Dic lapidibus

portante scriptum est: Scapulis suis i. e. alis suis sustinebit te. Si ergo angelus te sustentans quasi alatus in aëre securus versatur, tu quoque securus eris, nec unquam cades.

1. Psalm. 90, 13.
2. Ad Rom. 6, 16.

istis, ut panis fiant ». Misit sagittam ad saturationem excitantem, per quam in esurie [1], quam Dominus post jejunium sentiebat, eum irritaret, sicque Dominus in tentationem intraret. Sed Dominus famem sibi dominari noluit, quia ipsius fames jejunium quasi loricam induerat. Haec fames sagittam saturitatis in tentatorem retorsit, ut externam saturitatem suadentem doceret, dari etiam saturitatem internam, quae non apparet. Non pane solum vivit homo, sed omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Qui ergo venit, ut tentaret, tentatus est, et quo venit docere, convictus est. Si filius es Dei, dic lapidibus istis, ut panis fiant in hoc momento. Os Satanae his verbis contestatum est, eum qui a Deo est, lapides panem facere posse.

Satanas itaque suis ipsius verbis a Domino edoctus est. Nam si Deus lapides convertere et panem facere potest, discat tentator, Deum et sine pane posse saturare. Si lapides potest convertere in panem, etiam famem convertere potest in saturitatem. Qui enim convertit substantiam non comestibilem in escam, ei difficile non est, naturam famis convertere in saturitatem, non ita, ut aliqua re eam expleat, sed ut famem ipsam saturitatem faciat, sicut et tentator postulavit, ut lapidem ipsum panem faceret. In monte igitur Dominus cupiditates tentatoris conculcavit et dejecit in profundum, ut gentes, quae ab eis aliquando conculcabantur, eas conculcarent. Quarum loco plenitudinem gratiae in medium protulit, ut, quae olim ab omnibus conculcabatur, super omnes dominaretur [2].

Ut Pharao aquis, quibus infantes suffocaverat, immersus est, ita et caput Goliath gladio, quo multos occiderat, David amputavit. Moyses crucis mysterio

1. Posset et verti: « Ut ad esuriem eum irritaret ». Sed quum haud probabile sit, s. Ephraemum esuritionem Christi post jejunium a tentatore effectam existimare, et in Armeniaco praefixo *'b* cum aec. occasio et instrumentum saepe exprimatur, vertendum existimavi « in esurie ».

2. Cf. Ad Rom. 5, 17.

mare fidit dirupitque, et David lapidis mysterio[1] Goliath percussit et interfecit; et quum Dominus a Satana tentaretur, verbo oris ejus condemnavit Satanam. Pharao aquis, quibus soffocarat, suffocatus, Goliath gladio, quo occiderat, occisus, et Satanas carne, qua perdiderat, superatus et convictus est, quod non est Deus. Ad similitudinem trium immersionum[2], quibus Salvator baptizabatur, tentatus est. Dicit: Dic lapidibus istis, ut panis fiant, quia panis est nutrimentum eorum, qui de muliere nati sunt. Rursus: Regna et gloriam eorum tibi dabo; haec enim est promissio legis. Et iterum: Mitte te deorsum in terram, quod est descendere per mortem[3]. Sed Christus neutro conturbatus est; quum diabolus delicias ei ostenderet, non est gavisus, quum terrorem incuteret, non est afflictus, sed in via sua incedens voluntatem Patris sui implevit.

Omnia igitur haec, quae Satanas unum post alterum Vivificatori proposuit, nullos huic pararunt angores. Nam nostri quoque angores per Christum consolationem nobis parant et nos omnes in passione ejus quietem invenimus. Quid timeat Christus, sciens, se damnum pati non posse? In nobis timor saepe oritur, quia certe scimus, nos damno affici posse.

Rursus, qui Dominum nostrum per nativitatem maculam contraxisse dicunt, ignorant, se in errore versari, neque instrui possunt, quoniam superbia inflati sunt, sicuti nec timent, quia poenitentiam non agunt. Etenim terra, in quam venit, ab utero in re non est diversa quia omnis immunditia in ea invenitur. Immo sepulchrum, quod prae omnibus rebus horribile et immundum est, Dominus ingressus est. Porro, quod praeprimis notandum, ideo non est commaculatus, quia dictum est, corpora esse templum Dei; patet enim, Deo immun-

1. Cf. Act. Ap. 4, 11.

2. Ad verbum: « trium baptismatum », sed baptisma saepe immersionem in sensu strictiori significat. Sensus est: Christus, ter in baptismate immersus, ter tentatus est.

3. Satanam in tertia tentatione arcane, sed modo Christo intelligibili mortem minatum esse, in sequentibus asseritur.

dum non esse, in suis templis habitare. Verum quia mortem occisurus ejusque vestigia deleturus erat, in ipsa radice exordium fecit, quia, ubi caro est, ibi et mors est; radix autem carnis uterus est, ibi enim caro incipit creari et ibi mors eam incipit corrumpere. Multarum enim mulierum foetus mense, quo concepti sunt, moriuntur, aut secundo, tertio, quarto et quovis alio mense. Quia igitur mors in utero incipit et in sepulchro finem habet, quid aliud mortis insectatorem facere oportuit, quam certamen cum ea ab utero incipere et usque ad finem in sepulchro, quod mortis claustrum est, continuare ?

Contemplare ergo, quomodo per omnes hominis aetates Vivus mortem superare et confundere voluit. Factus est foetus, et in utero mors eum corrumpere non potuit. Factus est infans, et lactentem mors confundere nequivit. Factus est puer, et in disciplina, cui se subjecit, mors ei perturbando impar fuit. Factus est juvenis, et per appetitus suae juventutis mors ei scandalum ponere non potuit. Factus est doctus, et per versutias eum vincere nequivit. Factus est magister, et in veritate, quam docebat, non potuit eum arguere. Fuit admonitor, nec praeceptis, quae dedit, eum seducere potuit. Fuit integra aetate, nec occidendo eum potuit perterrere. Mortuus est et horrendum sepulchrum eum non potuit detinere. Non morbo correptus est, quia medicus, nec aberravit, quia pastor, non transgressus est mandatum, quia magister, non offendit, quia lux erat. Haec est via perfecta, quam Christus ecclesiae suae ab initio usque ad finem, a conceptu usque ad resurrectionem aperuit atque monstravit.

Si ergo ecclesia corpus ejus est, sicut Paulus, testis ejus, dixit, credas, eam per haec omnia sine ulla corruptione transiisse. Quemadmodum damnatione unius Adami omnia corpora mortua sunt et morientur, ita victoria hujus unius corporis Christi tota ecclesia vixit et vivet. Sed quemadmodum, quia ipsa corpora peccarunt [1], ipsa quoque moriuntur, et terra, eorum

1. Ita in utroque codice. « Corpora peccaverunt » i. e. homines in corporibus peccaverunt.

mater, maledicta est, ita propter hoc corpus, quod est ipsa ecclesia, quae non corrumpitur, terra ejus ab initio benedicta est, terra enim ecclesiae [1] corpus est Mariae, in qua seminabatur. Vide, quod reipsa angelus, qui venit, ut eam in auribus Mariae quasi semen demitteret, clara voce ita semen spargere coepit: « Salus tecum, ait, benedicta in mulieribus ». Et Elisabeth verbum posterius confirmans: « Benedicta, inquit, es tu in mulieribus », ut ostenderetur, propter primam matrem, quae maledicta est, secundam matrem expressis verbis appellatam esse benedictam.

Quod dixit: Discessit ab eo ad aliquod tempus, donec scilicet se praepararet, ut per calumniam et invidiam Scribarum victoriam Domini impediret. Sed sicut initio, ita et devictus est in fine, quia Dominus morte sua gloriosius de eo thriumphavit. Retro vade Satana, et exprobravit ei, quia immodice mentitus est dicens: « Meum est regnum » non veritus id quod Scriptura dicit: « Deus dominatur super omnia regna hominum, et cui vult, dat [2] ». Hoc itaque dicto audacia et superbia Satanae repulsa est, nec amplius verbo ejus resistere potuit. Quod Dominus fecit, ut monstraret, quid increpatio veritatis suae valeret, utque fideles suos instrueret, eos ipso donante omnia bona certe esse accepturos. Venerunt angeli et ministrabant ei, ut nobis exemplo ostenderet, post baptismum in tentationem et post tentationem in regnum quoque coelorum nos esse intraturos.

Quia discipuli Ioannis hoc magistri sui colloquium cum Domino audierant, reliquerunt eum et sequuti sunt Dominum (Ioa. 1, 35-41). Quoniam « Vox » discipulos apud se tenere non potuit, ideo eos misit ad « Verbum ». Conveniens scilicet erat, apparente luce solis lucernae lumen subire. Etenim hanc ob causam Ioannes in vivis permansit, ut baptismum suum baptismo Chri-

1. Ad verbum « templi », quod h. l. ecclesiam significare ex contextu liquet. In cod. B: Terra enim haec templum corporis Mariae est.

2. Probabiliter ex Is. 37, 16.

sti finiret, deinde mortuus est et in ipso sepulchro fortis fuit praeco, ut olim in utero matris, qui est imago sepulchri.

Dicens: Invenimus Christum, ostendit, nuncium de Christo ex tempore Magorum continuo servatum esse, et per Ioannem, qui eum baptizavit, et per testimonium Spiritus invaluisse. Postea autem Dominus recessit et jejunio suo quadragesimali iterum disparuit, quare animae contristatae nuncium ejus desiderabant, vasa [1] enim ejus erant, sicuti dixit: Elegi vos, antequam terra fieret [2]». Galilaeos vero elegit, populum sine consilio, (prophetae enim eos appellarunt popolum sine consilio et tenebrarum habitatores, et qui lumen viderunt [3]), ut confunderet legis peritos. « Elegit, ait, stultos mundi, quibus confunderet sapientes [4]». Ex Nazareth fierine potest, ut aliquid boni exeat? Ita respondit, quia ex domo David et ex Bethlehem Christum nasciturum fore scriptum erat, ille vero ex Galilaea eum prodiisse et in Nazareth ortum esse dixerat: « Ex Nazareth fierine potest, ut aliquid boni exeat? » quia propheta in Bethlehem ducem et principem surrecturum dixerat. Audivit Nathanael, eum ex Nazareth esse, quare interrogavit: Num ille bonus princeps ex Nazareth venire potest, quum hoc de eo Scriptura non dicat? Quum Dominus videret, eum bonum de ipso edidisse testimonium, quia non illis Scribis similis erat, qui in legendis scripturis fraudolose et perverse agentes ad suum arbitrium eas explicant, ideo reposuit: Ecce verus Scriba Israelita, in quo dolus non est. Antequam enim Dominum cognoverat interrogavit: Num potest ex Nazareth exire princeps, sicut ex Bethlehem; et postquam eum suis oculis vidit, non eum rejecit, ut ceteri Scribae, neque de ulla re amplius ut reliqui interrogavit, sed confessus est: Hic est Christus, et cognovit, in eo impleri,

1. Cf. Act. Ap. 9, 15 « Vas electionis ».
2. Cf. Ioan. 15, 16; et 19, 24.
3. Math. 4, 15.
4. I Cor. 1, 27.

quod et de Bethlehem et de Nazareth scriptum est, nempe: « Ex Bethlehem dux exiit », et: Super Galilaeos lux orta est. «Populus, ait, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ».

Ordo et solemnitas Apostolorum Domini [1].

Venerunt captores piscium et facti sunt captores hominum, sicut et scriptum est: « Ecce mitto venatores, et capient vos in omnibus montibus et excelsis [2]. Si enim sapientes misisset, dici poterat, eos aut suadendo homines cepisse aut dolo circumvenisse. Et si divites misisset, iterum dicerent, eos largitione alimentorum populum fefellisse, vel data pecunia dominium adeptos esse. Fortes quoque eodem modo vel sua fortitudine in admirationem eos rapuisse, aut per vim adegisse assererent. Sed Apostoli nihil horum habebant, quod Dominus in Simone omnibus manifestum fecit. Hic enim timidus erat, quia a voce ancillae timore perculsus est. Pauper erat, quia ne tributum quidem pro sua parte solvere potuit, dimidium scilicet stateris, et dicit: « Aurum et argentum non habeo [3] ». Et idiota erat, quia, postquam Dominum coepit negare, nescivit, sub aliquo praetextu aufugere. Exierunt ergo piscatores, et vicerunt fortes, divites et sapientes. Grande miraculum, quum debiles essent, fortes nulla adhibita vi attraxerunt ad doctrinam sui magisterii, et quum pauperes essent, divites erudierunt, et idiotae sapientes et sumae scientiae viros discipulos sibi fecerunt. Scientia terrestris locum dedit illi scientiae, quae scientia est scientiarum.

1. Nescio, quo ex libro ecclesiastico sequentia desumpta sint. Inscriptio haec in cod. B deest.
2. Ier. 16, 16.
3. Act. Ap. 3, 6.

# CAPUT V.

Factae sunt nuptiae in Cana Galilaeorum. Et cum Dominus eo veniret, dicit ad eum mater: Vinum non habent hîc. Dicit ei Iesus: Quid est mihi et tibi, mulier? non mihi tempus advenit [1] (Ioan. 2, 1-11), id est, ego non vi eis me ingero [2], sed ipsi animadvertant, vinum defecisse et omnes bibere expectent, idque dixit, ut donum suum in oculis eorum [3] gloriosum appareret. Praeproperans erat Maria, qua de causa eam edocuit. Aut: « Non mihi tempus advenit », tempus videlicet mortis ejus. Quia nimirum convivae inebriati erant [4], si modo violento dona sua in eos effudisset, perpessiones vix evasisset; tum enim initium Evangelii ejus fuit [5].

Et quia Maria cogitabat, causam miraculorum ejus esse, ut gloriam et honorem apud turbas Iudaeorum sibi pararet, ideo dixit: « Non mihi tempus advenit ». Etenim non ea ratione, qua Maria opinabatur, rem fecit [6], sed potius hanc ejus cogitationem reprimere voluit. Caeterum Maria miraculi, quod facturus erat, conscia fuit, quia Scriptura dicit: « Omnia conservabat in corde suo », et iterum: Quodcumque dixerit vobis filius meus, facite. Vidit Maria, vinum

1. Ad verbum: « Non mihi tempus supervenit.
2. In cod. B: Num vi ad eos veniam?
3. Ita in cod. B; in cod. A: « In oculis ejus (Mariae?) ».
4. Confer verba Ioa. 2, 10: « Cum inebriati fuerint », i. e. vino satiati et concitati.
5. Sensus esse videtur: Quia tum praedicatio Evangelii modo coepta erat et Christus nec per miracula nec alia ratione tamquam Deus cognoscebatur, a convivis vino calentibus tamquam magus facile occidi poterat, si intempestive miraculum coram eis faceret.
6. Verba « rem fecit », quae in cod. B desunt, et in cod. A alia manu superscripta habentur, necessario ex contextu complenda sunt.

defecisse, et scivit, non sine causa eum ad has nuptias venisse. Graecus scribit: Recubuit et defecit vinum [1]. Et quum mater hoc ei dixisset, respondit Iesus: « Non mihi tempus advenit », id est, certe advenit. Maria ab eo edocebatur, ibi signum eum facturum esse, et quum Iesus dubitationem ejus vituperasset, dixit ea servis: « Quodcumque dixerit vobis, facite [2] ».

Porro Maria anxia fuisse dicitur, quia ii qui nuptias celebrabant, ob ejus adventum vinum afferre debebant, et: Spernent te, ait, quia tua causa irrisui habentur. In contemptum eos induxisti, quia audient, te venisse, quum eis vinum defecisset.

Dicit ad eum: Fili, vinum non habent hîc. Et dicit ei Iesus: Quid est mihi et tibi mulier? Quid mali Maria dixerat? Maria, ajunt, de verbo ejus dubitavit, quia dixit: Vinum non habent hîc; ideo: Quid mihi, ait, et tibi mulier? Mariam intellexisse, Christum miraculum esse facturum, quum ei ita responderet, ex eo patet, quod dixit ad ministros: Quodcumque dixerit vobis, facite. Rursus: « Non mihi tempus advenit », nimirum, postquam in deserto potentiam suam inimico devicto monstravit, ad nuptias mirabiles, ut gigas praeclara gesturus, se contulit.

Accurit Maria, ut pro Apostolis ministra voluntatis ejus fieret, et quia ei facultas non erat, neque prae-

1. Citatum ex versione Graeca hoc loco inepte insertum est, nec undenam sumptum sit, conjectare possum.

2. Praecedentia sic intelligo: Maria ex adventu Christi ad nuptias cognovit, eum miraculum facturum esse, at quando et quomodo id facturus esset, ignorabat. Quumque vinum defecisse videret, dubitans, utrum nunc miraculum facturus sit, nec ne dixit Filio: Vinum non habent. Qui ei respondit: « Non mihi tempus advenit », i. e. non opus est, ut tempus meum veniat, quia jam adest, et continuo adest. Quibus verbis Maria edocebatur, Christum nunc miraculum facturum esse, et dubitatio ejus reprehendebatur, et tollebatur, quare dixit servis: Quodcunque etc. Ad vocem " dubitationem „ in editione haec adnotantur: Qui sunt in fide tirones, moneo, nonnullos antiquos Patres, tum orientalis tum occidentalis ecclesiae nonnunquam ita incaute et audacter de immaculata Virgine loqui, quod florente ecclesiae fide posteriores diligenter emendarunt; idque et de aliis locis dictum esse volumus.

cipiendi, neque verbum ejus praeveniendi, restitit ei, quia praepropera erat. « Non mihi tempus ~~meum~~ advenit », i. e. desiderabunt bibere et invenient, vinum defecisse, et tunc signum fiet miraculosum. Ita et post victoriam ab eo de inferis reportatam quum mater eum videret, qua mater eum amplexari voluit [1]. Et quum Maria usque ad crucem eum sequuta esset, ex illo die eam Ioanni tradidit dicens: « Mulier! ecce filius tuus », et juveni: « Ecce mater tua », quibus verbis iterum eam prohibuit, ne ipsum proprius accederet, quia dixit: Exinde Ioannes est filius tuus [2].

Quare Dominus ab initio suorum signorum naturam aquae convertit? Ut demonstraret, divinitatem, quae naturam in hydriis convertebat, etiam naturam in utero virginis mutasse, sicut et in fine suorum signorum sepulchra aperuit, ut demostraret, mortis aviditatem adversus ipsum non praevalere. Utramque grandem commutationem, in nativitate scilicet et in morte sua, obsignavit et confirmavit, quando aqua, quae juxta suam naturam in vite conversionem subit, in lapideis illis hydriis, natura nihil conferente, convertebatur, quemadmodum caro ipsius mirabiliter in virgine concepta et modo admirabili in virgine sine viro creata est. Ex aqua ergo fecit vinum, ut omnibus persuaderet, quomodo conceptio et nativitas sua facta esset. Sex hydrias vocavit in testimonium unius virginis, quae eum peperit. Hydriae nova ratione, non more suo, conceperunt et pepererunt vinum et amplius non pepererunt. Ita concepit Virgo et peperit Emmanuelem et amplius non peperit. Partus hydriarum ex paucis in multa, ex indigentia in abundantiam, ex mera aqua in vinum bonum; ast in Maria conceptus fiebat ex abundantia in paupertatem, ex gloria in ignominiam. ~~Rursus~~ illae hydriae quasi fontes erant, qui purificationem ~~Iudaeorum~~ prae-

1. Maria mater Christi h. l. confunditur cum Maria Magdalena, ut saepius in hoc commentario.

2. S. auctor putat, Mariam filium suum cruci affixum adire et amplecti voluisse, a quo per verbum Christi, Ioanni ipsam tradentis, detinebatur.

stabant et significabant, et in hos Dominus doctrinam magisterii sui immisit, ut ostenderet, se in via legis et prophetarum quidem venisse, sed in hanc finem, ut omnia per suum magisterium mutaret, sicuti ibi aquam in vinum mutavit.

Et quod dicit: Omnis homo bonum vinum prius apponit, deinde leve, ut patefaceret, ea quae praecesserant, quasi promptuaria fuisse, quia « lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum facta est ». Sponsus terrestris invitavit sponsum coelestem, et Dominus ad nuptias paratus venit ad nuptias. Invitatus est a recumbentibus, qui universae terrae in regno suo mensam paraturus erat, eisque donum dedit nuptiale, quo delectarentur. Non sprevit ejus opulentia paupertatem eorum qui ne leve quidem vinum juxta invitatorum numerum apponere potuerunt, et nisi eis paululum ex abundantia ejus affluxisset, sitientes et tristes a coena surrexissent.

Sed et Dominus vicissim eos invitavit ad nuptias, sicut ipse cum discipulis invitatus erat. Attamen licet frequeter mensae eorum accumberet, animae tamen eorum mensam ejus spreverunt, sicut et patribus eorum manna in deserto taedio erat. Angeli de mensa Abrahami et Loth manducaverunt; ita et Dominus cum illis manducare et bibere non dedignabatur. Illi eum invitarunt et venit ad eos; et ipse eos invitavit et ad nuptias ejus venire noluerunt. Illi vocarunt eum, nec abnuit, ipse vocavit eos, et coenam ejus abnuerunt. Ipse honoravit invitatores, illi autem despexerunt invitatores. Ipse gaudium paravit invitatis, et illi occiderunt servos ejus. Ipse implevit defectum in nuptiis, et illi respuerunt omnes cibos ejus. Ipse vino bono eos laetificavit, illi autem eum exacerbarunt et ad iram concitarunt; pro vino suavissimo ei dederunt fel et acetum.

Invitatus Dominus non venit cum reliquis invitatis, qui eum praevenerunt, ut vinum primum et leve consumerent; dein ipse venit, ut vinum afferret suavissimum. Cum aliis invitatus est Dominus, quin habitu suo ab eis differret, fecitque mirabile signum, quo co-

gnoscerent, eum natura sua ipsis non esse aequalem. Si enim adspectu suo in opinionem eos ducebat, se ipsis esse aequalem, simul mirabili suo signo eos docuit, se eis esse majorem. Tacens aquam fecit vinum, ut divinum ipsius silentium architriclinum praeconem excitaret, qui gaudens hanc laetitiam recumbentibus nunciaret. Vinum enim natura sua laetificat. Quia celere ejus mandatum vinum fecerat, quod saporis suavitate omnia vini genera superabat, ideo propter ejus praestantiam interrogarunt et exquisierunt, quis dominus et factor ejus esset.

Triumphatorem ex certamine redeuntem nuptiae deliciis suis tertia die exceperunt, ut doceret, post pugnam victoribus gaudium manere. Qua occasione simul clare monstratum est, Christum, quamvis ut peregrinus invitaretur, tamen dominum esse nuptiarum, quia defectum in nuptiis suo verbo, quod omne imperfectum perficit, complevit. Praeterea Dominus hoc miraculo non aliam omnino rem protulit, neque in eadem re veteri, sicuti prius erat, operationem suam finivit, non enim aquam pro vino ad bibendum eis proposuit; attamen nec omnino extra illam rem egressus est, vinum enim, quod fecit, ex creata aqua produxit. Non igitur peregrinam rem creatam ibi attulit, sed eandem primam rem commutavit, ut eo quod eam mutaret, ostenderet, se esse ejus dominum, et eo quod eam non aliam faceret, intelligerent, eam non despici et reprobari. Immo et in fine temporis eaedem ipsae res creatae renovabuntur, qnia voluntas, quae momentaneo mandato viles aquas in suave vinum mutavit, in fine temporis omnibus rebus creatis saporem, cujus dulcedo ineffabilis est, restituere potest. Denique hoc miraculum fecit, ut res viles in delicatos permutando doceret, eas non esse natura malas, sed earum creatorem natura sua sapientem esse, quia scivit, necesse esse, ut res ad probationem et correctionem crearentur, videlicet, ut justi eis probarentur et coronarentur, transgressores autem corrigerentur et sic utilitatem caperent. Qui enim ignem omnium consumptorem suo mandato ex perditore dul-

cem fecit consolatorem [1], is in fine temporis rebus perniciosis mandabit et utiles fient, et rebus malis praeceptum dabit et laetitia afficient. Prius os hominum gustui vini sui assuefecit, ut dein et aures eorum vinceret et ad recipiendam dulcem suam doctrinam adduceret.

Impleta sunt tempora (Marc. 1, 15), ea scilicet, quae a generatione in generationem complebantur. Prima periodus erat ab Adamo usque ad Noë cum foedere, quod Sethitae constituerunt, quum a familia Cainitarum se separarent et ab ea discederent. Secunda periodus a Noë usque ad Abrahamum, qua sanguinem comedere vestitum erat. « Dedi vobis, inquit, omnia, sicuti herbam agri, tantum sanguinem cum anima ne comedatis [2] ». A tempore Abrahami usque ad Moysen periodus erat circumcisionis sine lege, et a Moyse usque ad ortum Christi periodus legis, exinde tempora impleta sunt, quia nemo amplius est, qui mutare posset et amplificare.

Rursus tempus primaevum voluntaria dona obtulit ab Abel usque ad Noë. « Consolabitur nos, ait, sacrificiis suis [3]. Dein Noë super altare, in monte Corduaeorum [4] exstructum, sacrificium obtulit. Sequebantur sacrificium Abrahami in monte Amorrhaeorum, Iacobi in Bethel, Iosue in transitu fluminis Iordanis, postea sacrificia in Silo, ubi tabernaculum positum erat, et post haec Salomonis sacrificium in primo templo Hierosolymitano, et sacrificium Christi, quod in sua ecclesia usque ad consummationem saeculorum constituit; hoc enim non amplius mutatur. Ideo: « Impleta sunt tempora », quio postea, ut ait Evangelista, regnum caelorum evangelizabitur [5]. Vel: « Impleta sunt tempora », hoc est, tempora Israëlis.

1. Scilicet tribus pueris, in camino ignis servatis.
2. Gen. 9, 3.4.
3. Gen. 5, 29.
4. Idem in Commentario s. Ephraemi in Genesim tom. I. pag. 152 legitur.
5. Luc. 16, 16.

Discipuli ejus baptizabant (Ioan 3, 22), quia ipsi baptizati erant; fieri enim non poterat, ut alios baptizarent, nisi ipsi essent baptizati, quod et his verbis docet: Qui baptizati sunt, non deest eis quidquam [1]. Quae, si placet, potes intelligere de eo quod aqua baptizati sunt; secus audi, quod dixit eis: « Vos mundi estis propter verbum meum, quod locutus sum vobis [2] ». Concede ergo, verbum Christi eis fuisse baptisma, quum ipsum baptisma eodem verbo sanctificatur, sicut et Ioannes mandato, quod accepit, sanctificatus est et sanctificavit baptisma, quod ei creditum erat. Alii dicunt, quando corpus suum eis dedit, id eis in baptisma fuisse. Quomodo enim baptizassent vel baptizati essent, nisi fidem in corpus et sanguinem ejus habuissent [3]? Nam praeveniens ad eos dixerat: « Nisi manducaveritis carnem ejus et biberitis sanguinem, non est vobis vita », et quum irati murmurarent, ad Duodecim dixit: « Num et vos vultis abiri? » Et respondit ei Simon: « Nos credidimus et cognovimus ». Quomodo hi crediderunt, nisi per id quo et ceteri Iudaei ei credere, id est, eum audire et intelligere potuissent.

Elegit Iacobum [4] publicanum, ut animus adderetur sociis ejus, Christum sequendi. Vidit peccatores et

1. Ioan. 13, 10.
2. Ioan. 15, 3.
3. Ita ex cod. B. Sensus esse videtur: Apostolis corpus eucharisticum Christi pro baptismo fuisse nonnulli opinantur, quod ex intima conjunctione baptismi et eucharistiae deducunt. Ut enim ad symbolicum baptisma, quod Apostoli initio sacri sui muneris accipiebant et dabant, fides in eucharistiam requirebatur, ut patet ex verbis Christi, eucharistiae institutionem eo jam tempore promittentis et fidem in eam severe postulantis, ita etiam accipiendum, quod verum baptisma ipsa eucharistica corporis susceptio necessario praecederet, vel cum eo saltem unico actu jungeretur. Notandum s. Ephraemum aliorum opinionem referre. Aucher hunc locum ex cod. A ita transtulit: « Praeterea dicunt, quod quum dedit eis corpus suum, factum est illis baptisma; quoniam si baptizabant aut baptizabantur, dum non erat cum illis fides corporis et sanguinis ejus, ut quid praeveniens dixit illis: Si non manducabitis etc.
4. In utroque codice Iacobus pro « Matthaeus » h. l. legitur. Aucherus putat, Iacobum, Alphaei filium et fratrem Matthaei h. l. intelligendum esse.

eos invitavit et secum accumbere fecit. Admirabile spectaculum! assistunt ei angeli trementes, et accumbunt cum eo publicani laetantes. Beati spiritus magnitudinem ejus pertimescunt, et peccatores cum eo edunt et bibunt. Scribae invidiae aestuantes affliguntur et publicani misericordia exultant. Viderunt superi et admirati sunt, viderunt inferi et furore insanierunt. Vidit Satanas et contabuit, vidit mors et infirmata est, viderunt Scribae et confusi recesserunt, viderunt Pharisaei et conturbati sunt. Gaudium erat in coelis et exultatio angelis, quia rebelles se submiserunt, indocibiles ad obedientiam reducti, peccatores resuscitati et publicani justificati sunt. Quum amici eum dehortarentur [1], cruci ignominiosae non renunciavit, et quum inimici ei illuderent, a societate publicanorum non recessit, sed irrisionem sprevit et laudem contempsit, utroque salutem hominum perficiens.

Tota nocte laboravimus (Luc. 5, 5), quibus verbis doctrina Prophetarum significatur, de excelso missa in mundum, qui per mare repraesentatus est. Duae naves sunt circumcisio et praeputium. Et quod innuerunt sociis suis, mysterium est septuaginta duorum discipulorum, quia Apostoli piscaturae et messi non sufficiebant.

Vidit Dominus fidem eorum, dicit ei: Dimissa sunt tibi peccata tua (Math. 9, 1-13). Vide, quid fides aliorum aliis praestitit. Ab ipso aegroto fidem non postulavit, quia aedificio destructo similis et sui ipsius haud conscius erat, quemadmodum nec ab illo unico filio [2] aliquid exigit, sed a patre ejus, neque ab illa filia, sed a matre Chananitide dicente: « Et canes satiantur [3] ». Cura ergo sit tibi [4] salutis animae

1. Cf. Matth. 16, 22. Armeniaca vox vulgo « expiare » significat, hoc autem loco, ut et infra 209 idem est quod ասել քաւ լիցի dicere : Absit hoc.

2. Confer Luc. 9, 38, ubi puer daemoniacus post transfigurationem sanatus « μονογενής » vocatur.

3. Matth. 15, 26.

4. Haec verba modo deprecationis ad Christum dicta existimo.

nostrae, quum et nos hoc expetamus, ut non dissolvatur et crucietur anima nostra, sicuti ille per peccatum suum dissolutus et cruciatus est. Profecto verbum Domini omnium rerum ad eum pervenit eumque expiavit et sanavit; expiavit occulta ejus peccata et sanavit visibilem ejus carnem ; et sic per visibilia et per abscondita opera constabat, ipsum esse Deum in abscondito et hominem in visibili, quia ob exteriorem ejus humanam formam manifestum erat, eum esse hominem, et propter interiorem ejus magnitudinem credibile erat, eum esse Deum.

Dimissa sint tibi peccata tua. Quae peccata ei dimisit? Certe ea quae in ipsum commiserat. Quomodo ergo alienus est a lege? Et quid sive ei, sive Patri ejus debebant homines, qui per nullum opus potentiae nec in justitia, nec in legislatione eum senserunt [1]? Peccata ergo, quae coram Deo legis debita contrahunt, quomodo dimisit Iesus, nisi cum illo per generationem conjunctus esset? Aperte potius per haec dictum est, quod Filius ejus est. Quia paralyticus in ipsum peccavit, punivit eum in carne Juxta doctrinam Jasowa [2] dicunt: Ad quid opus erat Domino dicere: « Dimissa sint tibi peccata tua ». Sane hoc ei opus non erat, si ille non propter peccata paralysi afflictus erat [3]. Et quare ei condanavit, nisi ipsi debitor erat paralyticus? Aut nisi ipsius debitor erat, quid profuit ei, ut diceret

1. Ad verbum « eum susceperunt » scilicet sensibus. Refutat errores Marcionistarum, qui Christum et Patrem ejus non proprium mundi et legislationis auctorem, sed Deum a genere humano alienum crediderunt et mundi creationem et legislationem « Cosmocratori » adscripserunt.

2. Ita juxta cod. B est hoc nomen, sc. յասվայ. In cod. A pro eo est յայվայ, Jajswa, quod editor false legit յայս վայր, ultima enim litera non est ր, sed ը, et, ad sequens vocabulum pertinet. Porro cod. B verba « juxta doctrinam Jasowa ad praecedentem sententiam refert, et verbis « Ad quid » novam incipit. Num Jasowa in doctrina Gnosticorum nomen Jesu, erat?

3. Sensus esse videtur: Si Marcionistae dicunt: Ad quid opus erat Domino dicere: Dimissa sunt tibi peccata, eis respondendum, ideo, ut manifestum fieret, morbum paralytici ex peccatis ejus originem duxisse.

Dominus : Dimittuntur tibi peccata tua? Quamvis enim peccata non dimissa essent, nihil paralytico nocuissent, postquam semel a vindicta per misericordiam et bonitatem liberatus erat.

Rursus quae post haec dicit Scriptura : « Murmurant et dicunt Pharisaei et Scribae : Cum publicanis et peccatoribus editis et bibitis. Quibus dixit Dominus : Non est opus medico sanis, sed aegrotis, et non veni vocare justos, sed peccatores ». At hoc citra omnem quaestionem constat, in medio Israëlis sanos et justos fuisse. Ecce, non est peregrinus [1] labor illius Iesu legis, qui defatigabatur propter homines et eos sanabat et justificabat. Et si gentiles erant, item omnibus modis in terra Creatori suo sani et justi inventi sunt, et eo qui postea prodiit [2], non amplius opus est, quia sanis non opus est medico, nec justis gratia.

Omne illud tempus, quod Dominus noster in hac terra transegit, thalamo comparat et se ipsum sponso. Non possunt socii sponsi jejunare, dum sponsus cum eis est (Marc. 2, 19).

Ecce discipuli tui operantur die sabbathi quod facere non licet (Math. 12, 1-8). Sed prius Dominus eos instruxerat et in veritate justorum exercuerat, ne forte, quum legem per plenitudinem suam solveret, mirarentur. Sed et Pater ejus eam solvit, ut ostenderet, ad se pertinere creationem et dari providentiam et dispensationem legis, et ut comprobaret, eam remedium fuisse separationis, quod doloribus a pede usque ad caput diffusis [3] verus medicus proposuit. Coeperunt spicas evellere et fricare et edere. Hîc exemplum et norma quaedam constituta est [4]. Lex enim prohibuit, ne de primitiis ederent,

1. Ita in cod. B. In cod. A et in textu impresso : Ecce non est labor illi Jesu legis etc.

2. Sc. Marcion.

3. Confer. Is. 1, 6, ubi populus Israël a planta pedis usque ad verticem afflictus dicitur.

4. Sensus est : Hoc Apostolorum facto exemplum propositum est, quo ostenderetur, legem antiqnam a Christo abrogandam esse, quare et licite fecerunt, quod contra legem erat. Possit hic locus et verti : « Hîc typi et figurae ad finem perducti sunt ».

donec ad altare afferrentur. At illi fructum primitiarum, qui ante messem sacerdotibus offerendus erat, sumpserunt et manducarunt. Pharisaei autem non tam sapientes erant, ut ea de causa discipulos arguerent, sed ideo eos reprehenderunt, quia solverunt sabbatum, ut scriptum est.

Verum Dominus clarissimum argumentum eis opposuit exemplum regis David, quia propter similem actionem, sicuti propter alias, non est punitus. Non licebat David edere, quia non erat sacerdos. Sacerdos quidem erat David, quia habitatio erat Spiritus sancti. Et quum ne per hoc quidem intelligerent, tunc aperte ex propriis actionibus eos arguit dicens: Sacerdotes eorum intrà templum solvunt sabbatum et sine peccato sunt. Sed et aliud nobis Dominus significat. Ante persecutionem David ad Sancta non licuit accedere, quum autem eum persequi coepissent, ea sumendi et manducandi potestatem accepit. Eodem modo et Dominus post suas persecutiones carnem suam discipulis suis et sanguinem suum fidelibus distribuit. Sabbatum propter homines factum est (Marc. 2, 27); requies enim est post sex dies, ideo propter hominem est, quia et illius causa hoc nomen accepit. Non ergo propter Deum Sabbatum constitutum est, sed propter hominem; quare homo, qui eum dedit, dominus ejus est.

## CAPUT VI.

Quando Dominus noster beatitudines docuit, discipulos intuitus est: Elevavit, ait, Iesus oculos suos in eos et coepit dicere: Beati pauperes in spiritu suo (Math. 5, 1-19); pauperes scilicet, quia omnia a se rejecerant. Et ne de ipsa paupertate sese extollerent, addit: Beati mites. «Mitior fuit Moyses omnibus filiis populi sui [1]»; et: «In

1. Num. 12, 3.

quem respiciam et in quo habitabo, nisi in mitibus et humilibus corde [1]». Item: « Memento, ait, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus [2]»; et: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris [3]». Beatus, qui esurit et sitit justitiam, sicuti dicit: « Non esurit panem; nec sitit aquam, sed esurit et sitit, ut audiat verbum Domini [4]». Beati, qui mundo sunt corde, quia ipsi Deum videbunt, sicut et propheta in oratione sua precatus est dicens: « Cor mundum crea in me Deus [5]». Iustorum cor mundum est, et ipsi Deum videbunt, sicuti Moyses. « Beati, qui mundo sunt corde », quia cor membrum est respirationis, nec unquam desinit pulsare, donec homo in vivis est, et si cor sanctum est, sanctitatem suam omnibus membris attribuit. « In corde, ait, omnes cogitationes malitiae sunt [6]». Beati, qui flent, quoniam ipsi consolabuntur, sicut illud: « Si patimur cum eo, et glorificamur [7]». Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur, quia, quando angeli evangelizabant, dixerunt: « Gloria in excelsis Deo et in terra pax [8]». « Et fecit pacem, ait, sanguine crucis suae inter id quod in coelo et id quod in terra [9]». Et quum discipulos mitteret, dixit ad eos: « In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: « Pax huic domui ». Pacificos itaque filios Dei nominat, sicut et dicit: « Qui spiritu Dei ambulant, hi sunt filii Dei [10]». Beati, qui persecutionem patientur propter justitiam, ut dicit: « Persequentur vos et tradent vos [11]», et: « Qui volunt vivere in justitia Iesu Christi,

1. Is. 66, 2.
2. Psalm. 131, 1.
3. Math. 11, 29.
4. Fortasse ex Is. 49, 10.
5. Psalm. 50, 12.
6. Marc. 7. 21; Math. 15, 18. Hoc loco cor fons omnium affectuum, ergo et bonorum, declaratur.
7. Rom. 8, 17.
8. Luc. 2, 14.
9. Ephes. 2, 14. 15.
10. Rom. 8, 14.
11. Luc. 21, 12.

et ipsi persequutionem patientur [1] ». Ideo Apostoli quum contumelia afficerrentur, gavisi sunt, « quia digni habiti sunt, ut contumeliam paterentur propter nomen ejus [2], sicut Dominus eis praeceperat: « Vos, ait, gaudete et exultate, qui merces vestra multa est in coelo [3] », et: « In illo die gaudebitis [4] ».

Vae vobis divitibus (Luc. 6, 24). Observa Dominum non desiisse hoc verbo, ne id ad omnes divites applicarent. Quemadmodum, quum dixit: « Beati pauperes in spiritu suo », addendo « in spiritu suo », indicavit, hoc verbum non extendendum esse ad omnes [5], ita, quum diceret: « Vae vobis divitibus », eos significavit, qui nihil aliud quaerunt, quam divitias. Beatitudines itaque non promissae sunt, ut eorum nominibus quasi pulchro velamine mala obtegant sed contingunt eis qui, quae continent, exequuntur. Nomina unusquisque quocumque sub praetextu potest acquirere, sed res, quae nomine significatur, prope est ei qui non vult, ut sibi nomen attribuatur virtutis, quam non habet [6]. Promissae sunt ergo singulae beatitudines singulis operibus et singula dona singulis hominibus, qui laboreo mercedem sibi comparant. Retributi praedicta est, quae bona opera, atque poena, quae transgressionem sequetur. Quemadmodum solis et oculi commercio omnia visibilia, quae sunt in coelo et in terra, conspiciuntur, ita et Vivificator Deus lux est vivorum, et quando communicat cum mente, eam ad cognosenda mysteria erigit, ad sapientiae abyssum deducit, abscondita ei manifestat. Ideo: Vos estis lux mundi, et: Sal estis vos terrae.

Ad Scribas et Pharisaeos, qui adstabant et causam, eum accusandi, quaerebant, dixit: Ego non ve-

1. II Tim. 3, 12.
2. Act. Ap. 5, 41.
3. Math. 5, 12.
4. Luc. 6, 23.
5. Subintellige « pauperes ».
6. Ad verbum Aucher vertit: « Qui non vult, ut superet se nomen praestantiae », i. e. ut excedat se et sic sibi inconveniens fiat nomen virtutis.

ni solvere legem, aut prophetas, sed implere. At impletio defectui necessaria est. Et quaenam sit impletio, ostendit dicens: « Ecce ascendimus Hierosolymam, et implebuntur, quaecumque scripta sunt de me [1] ». Et de his defectibus dixit: « Priora transierunt [2] ». Sed eis qui baptizati in id quod perfectum, et immersi in id quod praestantius, et renovati sunt per id quod abundantius est, dicit: Facilius est, transire coelum et terram, quam a lege unum apicem perire [3]; et: Omnis, ait, qui solverit unum ex mandatis [4], scilicet novi testamenti.

Qui percutit maxillam tuam, porrige ei et alteram partem (Math. 5, 39). Quo confirmat, illud dictum « alapa pro alapa », imperfectum esse, quum, quod perfectum et verum est, tempore gratiae constituit dicens [5]: Nisi abundantior inveniatur justitia vestra, quam Scribarum et Pharisaeorum, non potestis intrare in regnum coelorum (Math. 5, 20-39). Illis ergo dictum erat, non occidere, vobis autem, non irasci; illis, non adulterare, et vobis, non concupiscere; illic, « dens pro dente », sed hic: « Qui percutit maxillam tuam, porrige ei et alteram partem ». Et alio modo idem docet: « Si oblaturus es, ait, munus tuum super altare, relinque munus tuum, et vade reconciliare, quod dixit, ne quis in dubitatione versaretur, an justum esset, nec ne, si divinum sacrificium negligeret et de transgressoribus vindictam non sumeret. « Nisi abundantior inveniatur justitia vestra, quam Scribarum et Pharisaeorum ». Quod si lex praecepit: « Ne fiat spicilegium post messores tuos, neque decutias secunda vice olivas tuas, nec vindemiam facias in

1. Luc. 18, 31.
2. II Cor. 5. 17.
3. Luc. 16, 17.
4. Math. 5, 19.
5. In cod. B: Defectum ostendit veritatis, et tempore gratiae quasi fundamentum ponit id quod dicit: Nisi justitia etc.

vinea tua, sed haec sint pauperibus [1], si hoc dictum est eis qui sub lege sunt, quid Christianis praecipietur, quibus Dominus dixit: « Nisi abundantior inveniatur justitia vestra, quam Scribarum et Pharisaeorum, non potestis intrare in regnum coelorum? ».

Hoc audistis, quod dictum est: Ne occidas; qui enim occidit, reus est judicio. Sed ego dico vobis: Qui dicit fratri suo, fatue. Quia nempe hoc quoque nomen propter vilitatem homines offendit. Homo, etsi rudis, cursum temporis cognoscit, sapiens autem cursum cogitationum [2]. Perfectos ergo ad perfectos introducere voluit, i. e. perfectos ad angelos. Apud Dominum justi rei sunt, ita et ipsi se invicem reos agnoscant. Deus homini, quem ad suam imaginem fecit, libertatem dedit, ut voluntate possideat, quod Deus ex natura sua habet. Et contemplare, quomodo et Deus, quamvis ex natura omnia jam possideret, tamen libertate vicissitudines vitae humanae subiit [3].

Audistis, quia dictum est: Non adulterabis, sed ego dico vobis: Quicunque aspicit [4] et concupiscit, adulterat. Et quia erant, qui divitias, delicias, voluptates et verba ad mala incitantia amabant, dixit Dominus: Si manus tua vel pes tuus scandalizet te. Si enim [5] de ipsis membris hoc tibi praecepit, quare tu parcis divitiis, vel voluptatibus, vel verbis pravis, quae facile amoventur?

1. Conf. Lev. 19, 9.

2. Ita textum impressum corrigendum esse existimo juxta cod. B, qui ad verbum habet: « Quia hoc quoque nomen... offendit idiotas. Sicut cursum temporum cognoscunt rudes, ita sapientes etc. Sensus esse videtur: Si rudes tempora observare sciunt, sapientes quoque cogitationes suas observare et moderari, et motus iracundiae et verba injuriosa opprimere possunt.

3. Ad verbum: « Tamen quasi in libertate ambulavit ».

4. Ita in utroque codice.

5. In his et seqq. arguit eos qui verba Christi male interpretantes se ipsos mutilarunt. Sensus esse videtur: Si, ego dicit Dominus, praecepi tibi ipsa membra resecare, ut tu putas, quare tu non removes a te fallaces divitias etc., quas abjicere facilius est, quam auferre membra.

Quod si membro abscisso convicia et maledicta et inimicitias a te aufers, quare non abscindis linguam tuam, quum necesse sit, ex uno hoc membro abscisso omnium dolorum quietem experiri? Aut male fecisti, aut recte non intellexisti. Aut male membrum non abscidisti [1] aut stulte praeceptum percepisti. Immo et eo quod te ipsum non mutilasti, convictus es [2], malum te fecisse, non enim abscidisti membrum, quia dolores timebas et præcepta solvere malebas, quam perdere membra.

Agedum videamus, cessentne blasphemiae lingua abscissa? Si cessant, male faciunt, qui non abscindunt. Si non cessant, male intellexerunt, qui absciderunt. Aut quomodo Dominus praecipiet, amputare membra, quae, si abscindantur, pereunt, quin irritatio ipsa malorum eruatur? Non ergo membra, quae numen divinum conjunxit, oportet abscindi, sed cogitationes malas, quas conjungit libertas. Porro his verbis Dominus nos docuit, quantopere nos certare oporteat, ne devincamur, sicut illud: « Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra [3] ». Diviti enim illi in Evangelio memorato divitiae erant dexter suus oculus, qui eum scandalizavit, quemque non eruit et projecit. Et Herodi manus sua dextera Herodias erat, sed tantum abfuit, ut foedam manum abscinderet et projiceret, ut sanctum caput [4] amputaret et projiceret.

Simon autem omnia veteris hominis membra abscidit et projecit, ne eum scandalizarent. « Ecce, ait, nos reliquimus omnia [5] ». Si itaque audis « omnia », scias, non oculos, non aures, non nasum veteris hominis eos reliquisse, quos neque eruerunt, neque projecerunt. Oculum vocat concupiscentiam, quae fit per oculum, aurem calumniam, et ita in singulis. Et Apostolus similiter dicit: « Mortificate ergo corpora vestra i. e. fornicationem etc. [6] ». Item oculus dexter amor est,

1. Ita in cod. B. In cod. A particula « non » deest.
2. In cod. B: Et eo quod non abscidisti, te ipsum arguisti etc.
3. Ioel. 2, 12.
4. Sc. Ioannis Baptistae.
5. Math. 19, 27.
6. Ad Coloss. 3, 5.

quia amando homo concupiscit mulierem, quando eam videt, et hanc ob causam haec verba in medium prolata sunt. Porro manum dixit curam nutritionis, et pedem succursus [1]. Sed de lingua Benignus tacuit, absque dubio, quia non duae linguae inveniuntur in corpore. Dein ipsa lingua noluit loqui de linguae abscissione, etiamsi per hoc silentium contra linguam et de lingua diceretur [2].

Qui dicit fratri suo, vilis aut stulte. Vide, quod non sicuti dispensas, ita tibi retribuitur. Si enim adultero dixeris: « Adulter es », inde nulla tibi est merces, nec ille majorem poenam luet, quam meretur. Si autem ab adultero ad id quod de eo dictum est, attenditur [3], duplum pro eo quod antea erat, assequitur, super te autem veniet, quod dicit Scriptura: « Sicuti voluit facere fratri suo, fiet ei ». Iustitia enim, qua festinas ei reddere, quod meretur, non tarda est, nec negligit, etiam tibi reddere, quod mereris.

Homicidium itaque ejus qui falso de homicidio exprobratur, cadit super exprobrantem, ut et adulterium calumniati cadit super calumniatorem. Idololatria populi adulterium appellata est. Quare non est, absonum, istius quoque calumniam appellare adulterium, quia et hic a veritate defecit. Examina haec et intelliges, quod omnino unum et aequale sunt. Datur itaque tempus, quo Satanas in hominem per unum ex membris ejus opus malitiae ingerit eumque irritat, et datur

1. Id est: Succursus ad mala.

2. Id est: De linguae abscissione tacendo, Dominus hominibus taciturnitatem commendavit, et sic de lingua et contra ejus abusum dixit.

3. In cod. B: Si curam habet eorum quae illi dixerunt. Sensus esse videtur: Si adultero non poenitenti absque consilio eum emendandi dixeris: « Adulter es », inde tibi nulla merces, nec illi major poena. Si autem de adultero, qui per tua opprobria ad meliorem frugem redierit, hoc dicere pergis, ille propter conversionem non solum a poena liberatur, sed et mercedem habet, tu autem, qui eum calumniis persequeris, a Deo poena afficieris, qua illum affici exoptas. Nam poena calumniati in calumniatorem cadit. Ideo calumnia adulterii, sicuti idololatria, ipsius adulterii nomen meretur.

tempus, quo aliorum ore unum ex malis nominibus per mendacium [1] in hominem immittit eumque commaculat, quum per calumnias ipsum ad convicia dicenda, audientes ad ea credenda impellit.

Audistis, quod dictum est: Oculum pro oculo; sed ego dico vobis, omnino non resistere malo. Nimirum cum impletum esset tempus, quod ad mensuram nutritionis positum erat, tunc solidus cibus praedicatus est. Primum enim constituta sunt tempora castigationis, quia primum eos oportuit a malis separari; quum autem justitia munere suo functa esset, similiter et misericordia et gratia munus suum ostendit. « Oculum pro oculo » munus est justitiae, et: « Qui percutit maxillam tuam, porrige ei et alteram partem », munus est gratiae. Et cum ambae ea quae gustanda praebebant, perennia facerent, per ambo testamenta nobis affluxerunt. Prius testamentum in expiationem animalia occidit, quia justitia non permisit, ut unus moreretur pro alio; alterum vero testamentum per sanguinem illius hominis constitutum est, qui in sua bonitate se ipsum pro omnibus dedit. Unum ergo fuit initium, et alterum finis, quia, quod initium et finem habet, hoc perfectum est. Cui sapientiae sensus deest, initium et finis diversa et ab invicem separata videntur, recte autem examinanti unum sunt.

Exinde illa maxilla cum maxillae perfectione permutata est [2]. « Qui percutit maxillam tuam, porrige ei et alteram partem ». Prius testamentum in sua substantia [3] quasi aquam cognovimus, sed, si observamus hoc: « Qui percutit maxillam tuam », bibimus quasi vinum. Unum ergo nobis datur, ne ex oblivione ejus aliena introducamus, alterum autem in emolumentum nobis est, ne errantes faciamus id quod pertransiit et

1. Sic in cod. B. In cod. A et textu impresso est « per justitiam », confusis vocabulis ասուգութիւն et ասութիւն in Armeniaco simillimis.

2. Id est: Antiquum testamentum cum novo.

3. Ad verbum: In sua radice. Syriacum *eqoro*, quod h. l. fuisse conjicio, significat: 1. radix, 2. medicina, 3. substantia rei.

per id quod addebatur, novum quasi colorem et vigorem accepit, sicut aqua conversa in vinum [1]. Quare nos omnes relicto defectu aliorum hominem quotidie nostrum emolumentum quaeramus. Ne existimemus, aliquid per nos factum esse, sed omnia propter nos facta credamus, quia propter nos accepimus mandatum diligendi inimicos, non autem propter eos.

Dominus noster ut infans inermis venit in mundum et nullam ex illis plagis, quibus priores populum affecerant, eis inflixit, sed, cum eos visibili sanatione devictos ad se adduxisset, spiritualem sanationem eis immiscere coepit dicens : « Si credis ». Quia omnibus doctoribus praecellebat, id quod mensura datum erat et in mensura crescebat et per antecessorum manus traditum ad ipsum pervenerat, qua fructum maturum eo in sapore, quem ipse ei indiderat, distribuit. Quum in maxilla sua cruciaretur, cum mandato etiam opus ostendit et docuit, quod scriptum est : « Qui percutit maxillam tuam, porrige ei et alteram partem ».

Moyses e gradu circumcisionis eos eduxit et in gradu justitiae constituit. Ne percute, ait, proximum tuum injuste, quod si ille te percusserit, tu exiges vindictam, sed juste. Dominus autem e gradu justitiae eos elevavit et in gradu gratiae constituit dicens : Ne sumas vindictam de eo qui tuam percutit maxillam, sed porrige ei et alteram. Qui ergo adhucdum ex illa justitia Moysi percutere vult, perdit et eam justitiam, quae eum docuerat : Ne percutias injuste. Israelita quidem vindictam sumens mercedem accipiebat, quia tunc exactio fiebat, nec culpabilis erat, quia injustitiam non faciebat. Putasne, eum qui ad summam capitalem usuram foenoris ex hoc nostro dominico praecepto super addit, condonando perdere id quod non exigebatur [2] ?

1. Sensus est : Antiquum testamentum in s. Scriptura nobis conservatum est, ne facta in eo narrata obliviscamur, et religionem antiqui foederis a revelatione novi testamenti diversam putemus ; novum vero testamentum nobis datur, ut relictis imperfectis et transitariis antiqui testamenti ad perfectionem tendamus.

2. Pulchre comparatur merces justitiae cum summa capi-

Nequaquam. Ecce, merces primae alapae ei ex necessitate servatur, quia inde dolorem passus est, et merces alterius alapae ei debetur, quamvis ejus dolores non passus sit, quia ei se obtulit.

Liberavit itaque Dominus ab injustitia, sicut Moyses, et multa addidit ad id quod ille dederat. Qui ergo vindictam sumit, certe perdit [1]. Quum amatores lucri in occulto spoliare nollet, sua patientia eos docuit, quantam gloriam patientia lucraretur. Et multi erant, qui eum vindicabant, quia ipse se non vindicaverat. Quinimmo quum clavibus cruci affixus esset, luminaria suo defectu exactores et vindices ejus facta sunt. Vide ergo, verba, etsi sibi contradicere videantur, coronam [2] tamen praemiorum redimere. A primo itaque gradu initium faciamus. Lucrum magnum est ei qui non injuste proximum suum percutit, et merces magna ei qui ex jure de injurioso vindictam non sumit; victoria autem magna est ei qui in gratia reddit alapam pro alapa [3]. Injuste non egit, ideo non peccavit, et vindictam non sumpsit, ideo retributionem accipit, immo et amplius dedit, ideo coronatur.

Sed tu quum jejunas, lava faciem tuam et unge caput tuum (Math. 6, 17-24). Quae te Dominus docet, primum, ne hominibus placere studeas, ut propter humanam gloriam jejunia tua fiant; et secundo, ut jejunans per abscondita jejunia gratiam remuneratoris absconditorum jejuniorum tibi concilies. Ne appareas hominibus jejunans, ne laus eorum qui jejunia tua noverunt [4], mercede jejunii te privet. Pater tuus, qui videt in abscondito, retribuet tibi palam. Verba divina: « La-

tali, et merces gratiae cum foenore, et docetur, hac illam non tolli. Versus finem hujus sententiae codicem B sequutus sum.

1. Id est: Qui sub lege Christi vindictam sumit, perdit mercedem legis et gratiae.

2. In cod. B: Virtutem.

3. Sic verba se habent. Sensus esse videtur: Qui injuriam facienti ex gratia beneficium praestat. Cf. Rom. 12, 20.

4. Ita in cod. B. In cod. A: « Qui tuis jejuniis interveniunt ».

va faciem tuam et unge caput tuum » ad mysteria te invitant. Qui ungit caput suum, is est, qui impinguatur scientia Dei, et qui faciem suam lavat, faciem spiritualium suarum facultatum a sorde mundat. De interioribus ergo membris hoc praeceptum accipe et lava faciem spiritus tui a sorde injustitiae, et unge caput tuum sanctitate, ut Christi consors efficiaris.

Si lumen, quod in te est, tenebrae sunt, i. e. si per eleemosynas [1], quae lucidae sunt, i. e. quae justificant, peccas, quanto magis per peccata, quae obtenebrant. Adulterium et blasphemia ex una tantum parte spectari possunt, quia nihil aliud sunt, quam causae transgressionum, eleemosynae autem duplicem habent faciem, quippe quae, si humanae gloriae causa dantur, ad transgressionem perducunt, si autem manus datoris ad fratrem indigentem ex charitate se extendunt, etiam cogitationes ad Deum, qui retribuit, pertingent, ut Scriptura dicit: Ubi thesauri vestri sunt, ibi erunt et corda vestra.

Nolite judicare (Matth. 7, 1), h. e. injuste, ne judicemini, h. e. ob injustitiam. Dimittite, et dimittetur vobis (Luc. 6, 37), i. e. si homo in justitia judicat, dimittat ex gratia, ut, si ipse in justitia judicabitur, gratia condonationis dignus inveniatur. Aut propter judices, qui se ipsos vindicant, dixit: Nolite punire, i. e. nolite in propria causa sumere supplicium, vel nolite judicare ex verosimilibus et ex opinionibus et protinus punire, sed arguite et admonete.

Qui habet, dabitur ei, et qui non habet, etiam, quod putat se habere, auferent ab eo (Luc. 8, 18), ut illud: « Qui habet aures audiendi, audiat », i. e. quibus aures spiritus in auribus corporis erant, ut spirituale ejus verbum audirent, his uberiorem, quam antea habebant, doctrinam et institutionem dedit. Verum illis, qui putabant, se habere, abstulit et hoc, quod habebant, ut dictum est: « Videndo

1. Ex cod. B hic locus correctus est, qui in cod. A sensum sanum non habet.

videbunt et non videbunt ». « Qui habet, dabitur ei, et qui non habet, etiam hoc auferent ab eo ». Qui eorum quae possidet, dignus non est, quomodo potest sperare, se habiturum esse id quod non habet? Qui itaque dignus est ejus quod habet, ei addetur et id quod non habet; qui autem non est dignus, et hoc, quod habet, auferent ab eo. Quantum homo accipere potest, datur ei per gratiam, quae cum promissione similis gratiae subsequentis in acceptorem se demittit et in eo quiescit. Qui habet, addetur ei, ut ipse in se per gratiam omnibus divitiis abundet.

In praesenti igitur tempore aliquid, quod est consentaneum, nobis additur, alioquin non esset additum[1], ut dicit Scriptura. Itaque Spiritus sapientiae non datur homini stulto, ne hoc lumine detrimentum capiat. Sed Spiritus sanctus, mysteriorum revelator, homini sapienti et intelligenti datur, ut sapientia, fons gaudiorum, in eo efflorescat et verbum laetificans ei praesto sit. Mutuum accepimus, ergo et reddamus. Quod si confitemur ei qui nobis mutuum dedit, addet nobis ad id quod accepimus. Si autem eum negamus, nobis dubitandum non est, id quod accepimus, apud eum esse. Quodcunque accepimus, licet apud nos sit, si negamus, apud eum est; si autem gratias agimus et credimus, id quod apud eum est, etiam apud nos est. « Qui habet, dabitur ei ». Paulo, qui habebat justitiam legis, addebatur fides vivificans. Qui autem ne eam quidem justitiam habet, ut legem impleat, et hoc, quod habet, auferent ab eo, quum via legis usque ad Ioannem Baptistam pertingat. Idem contingit ei qui putat, sibi remissa esse peccata.

Nolite dare sancta canibus (Math. 7, 6). Quemadmodum qui evangelium ejus non praedicat, peccatum committit, quia ejus mandatum non servat, ita et ille, qui dat sancta canibus. Etsi canes sancta non devorent et porci margaritis non abutantur, tamen qui hoc facit, consors et particeps efficitur ejus qui abscon-

1. Ita in cod. B; particula « non » in cod. A excidit.

dit pecuniam domini sui. Hic non auxit, ille non conservavit.

Venit ille, cum senioribus populi et rogavit eum, ut non dedignaretur venire et salvare servum suum. Et quum annuisset, ut iret, dixit ad eum: Domine, noli vexari, sed tantum dic verbo et sanabitur (Luc. 7, 3). Et quum hoc audiisset, admiratus est (Math. 8, 10-12). Deus admiratus est hominem. Et dixit: Non in aliquo in Israël tantam fidem inveni, ut Israelitas confunderet, quia in eum non crediderunt sicut hic alieniga. Hic Iudaeos secum sumpsit, ut ipsius essent advocati ; at Iudaei reprehensibiles inventi sunt, quia fides illius in eis non erat. Ideo ibunt in tenebras exteriores.

Filius virginis filio viduae (Luc. 7, 11) obviam venit, lacrymisque viduae quasi spongia, et morti filii ejus vita fuit. Mors in spelaeum suum reversa est, terga vertens triumphatori.

Vulpibus sunt sua habitacula, et filio hominis non est locus, ubi ponat caput suum (Math. 8, 20-21) i. e. in illo viro non erat requies capitis nec habitatio divinitatis [1]. « In quem respiciam, ait, et in quo habitabo, nisi in mitibus corde etc. [2] ». Aut, quia ille vidit mortuos surgentes et mutos loquentes, secum cogitavit, ei cui talia opera sunt, multum etiam esse argenti, ideoque dixit: Veniam et sequar te. Propterea responsum accepit: Vulpibus sunt habitacula sua, ei autem nec id est, quod habent vulpes, scilicet habitaculum.

Qui dormivit, is et surrexit et sopivit mare, ut in mari, quod in tempestate sopivit, virtutem divinitatis,

1. Ita in cod. B. Sensus forsitan est: In illo avaro et superbo, qui Christum interrogabat, caput, i. e. principale hominis, anima, requiem et veram pacem non habuit, nec Dei habitatio erat, quia Deus non quiescit nisi in humilibus. Vel aliter: In illo non erat requies capitis, quod est Christus. In cod. A est: Requies capitis et habitationis etc.

2. Is. 66, 2.

quae non dormit, manifestam redderet. Increpavit ventum et cessavit. Quae virtus est haec, aut qualis clementia Iesu? Vi enim et imperio mare sibi subjicit [1]. Per id ergo, quod suum non est, nimirum per tempestatem maris et per illos daemones, quos obmutescere fecit, ostendit, se esse filium creatoris.

Gergeseni consilium ceperant, neque exeundi, neque videndi signum Domini. Ideo suffocavit gregem porcorum eorum, ut inviti exirent. Legio, quae ad modestiam redierat, figura est mundi, qui ad modestiam et sobrietatem convertebatur, cujus furor mitigabatur et sedabatur ab eo qui omnia vivificat. Si daemones in sues non potuerunt intrare, donec permissionem accepissent, multo minus in imaginem Dei possunt intrare. Audiant infideles, Christum daemones ex uno ejicere et in alios immittere posse, et Dominum timere incipiant. Quis enim eos a daemonibus, qui in abscondito sunt, servabit, nisi is qui eos in porcos, non autem in homines intrare jussit. De quo dixerunt: « Profecto per Belzebul ejicit ~~daemonia~~ », is cum Satana in monte, et hîc cum Legione, duce ejus, certavit. Et quum intrassent in porcos, statim suffocarunt eos, ut benigna Domini natura appareret, quae illum virum servavit. Et daemones coeperunt precari, ne eos ex hoc loco expelleret, eosque ante tempus in gehennam mitteret. Qui dixit: « Discedite in ignem aeternum, quod paratum est Satanae et angelis ejus », quomodo hic Belzebul [2] ejecit, eique gehennam indixit? Quod ita se habere, testatur verbum: « Ne eos mitteret ante tempus in gehennam [3] ».

1. Haereticos h. l. refutat, qui dixerunt, Iesum solummodo bonum, non autem et justum Deum esse. His s. Pater respondet, Iesum in hoc miraculo non clementiam, sed vim manifestare.

2. Cod. B: « per Beelzebul », sed contra contextum.

3. Ex his verbis nempe patet, Sattanae ignem aeternum paratum esse eumque nondum in gehennam missum.

Gergeseni ex civitate sua ejecerunt eum qui daemones ex terra eorum ejicere poterat. Et quia incolae illius terrae timebant, ne daemonibus praeceptum daret, in eos intrandi, virum illum dimisit, dicens : Vade, praedica, scilicet, mala eis imminere, quia daemones, qui ex omnibus locis ejiciebantur, inde in eos intraturi erant. Quia expulsorem daemonum ad se intrare non sinebant, eorum dolores accreverunt, quoniam medicum suum aditu prohibuerunt. Et si Benignus filius alieni dei est [1], quomodo sues, qui res immunda creatoris habentur, suffocavit, et daemonibus ea quae volebant, fecit, possessori vero gregis mulctam imposuit ? et cur diaboli tortorem suum cognoverunt ?

## CAPUT VII.

Laus tibi, fili absconditae substantiae, quod per occultos dolores et plagas mulieris, fluxu sanguinis laborantis, occulta tua sanatio praedicata et in muliere visibili invisibilis divinitas hominibus revelata est. Quum sanaret Filius, ejus divinitas eluxit, et quum sanaretur mulier sanguinis fluxu vexata, ejus fides apparuit. Haec praedicavit Christum, sed et simul cum eo praedicata est. Quia veritas [2] per eam praedicabatur, veritas quoque eam praedicavit. Et ut mulier divinitati ejus testis facta est, ita et ipse fidei ejus testis surrexit.

Mulier Christo fidem mutuo dedit, et Christus in retributionem pro dato mutuo sanitatem ei reddidit. Sed tum demum, quum fides mulieris manifestata esset, Domini sanatio aperte praedicata est. Quum virtus Filii mire operaretur ipsumque magnificaret, medici cum suis remediis confusi sunt, et clare apparuit, quantum virtus invisibilis visibili praecelleret remedio. Cogitationes mulieris, antequam panderentur, cognovit

1. Haec sententia ex cod. B sumpta est ; in cod. A excidit.
2. Ita in cod. B. In cod. A falso : Per veritatem.

Dominus, quem ne personam quidem ejus nosse putabant. Neque eo quod discipulos interrogabat, iis qui praetextum despectus quaerebant [1], despectus causam praebuit. Licet enim ignorans videretur, quia interrogavit, quis ad ipsum accessisset, tamen secretorum conscius erat, quia non alia ex causa eam sanavit, quam ob fidem in ipsum. Antea enim fidem occultam mulieris vidit, dein sanationem manifestam ei impertivit. Si igitur invisibilem fidem cognovit, quanto magis visibilem hominis formam ?

Licet ergo Dominus utilitatis causa praeseferret, se res manifestas ignorare, statim tamen praescientiam suam, qua et secreta noverat, demonstravit. Quomodo, quaeso? Nonne quum Simon diceret: Turbae hominum te circumdant et premunt, et tu dicis, quis accessit ad me? Qnum Simon Dominum doceret, totam populi multitudinem ad eum accedere, Dominus Simonem edocuit, unam solam ex omnibus ipsum adiisse. Etsi enim multi propter turbas comprimentes ad eum accederent, tamen una sola doloribus pressa in illa hora ei appropinquavit. Simon ergo accessum hominum ad Dominum Domino voluit significare, Dominus vero fidem, quae ad ipsum accedebat, Simoni significavit.

Sed animadverte, ex multis ad Dominum accedentibus unam, quae accesserat, quaerendam fuisse. Si ergo omnes accedebant et ex his omnibus unam quaerebat, manifestum est, eum omnes, qui eum comprimebant, cognovisse, quia ne una quidem ex omnibus illis ab ipso se abscondere poterat. Quum omnes mixtim, indiscriminatim et invicem se prementes eum adirent, ex his omnibus unam solam circumspiciens quaesivit, ex quo liquet, quod omnes novisset sicuti illam unam, quia illam unam inter omnes latentem discernere poterat. Licet enim multi in illa hora ad eum accederent, tamen quasi hominem eum adierunt, ideoque eam quaesivit, quae ad ipsum tanquam ad Deum

1. In cod. B : Qui praetextum quaerebant, potentiam ejus negandi.

accedebat, ut illi, qui ad eum tanquam ad hominem accessissent, reprehenderentur et arguerentur. Unam igitur, quae inter omnes eum adierat, ex omnibus separavit, ut omnes uno verbo doceret, se nosse, cur, aut quomodo unusquisque eorum ipsum adiisset.

Qui ergo corporaliter eum adibat, corporalem sensit tactum, et qui spiritualiter eum adibat, per palpationem humanitatis impalpabilem palpavit divinitatem. Qui adibat eum tanquam hominem, palpationem humanitatis in eo invenit; qui autem tanquam Deum eum adibat, thesaurum sanationis dolorum suorum reperit.

Si mulier a cruciatu sanata clam discessisset, præterquam quod miraculum multitudini absconditum mansisset, etiam ipsa mulier corporaliter sanata, spiritualiter aegrota discessiset. Quamvis enim propter sanationem Christum virum justum esse credidisset, tamen si res ei ignota mansisset, utrum Deus esset, dubitasset. Nam et ad justos nonnulli accesserunt et sanati sunt, sed non ita, ut justi cognoscerent, quinam ad ipsos accessissent et sanati essent. Ne ergo mulier, quæ corpore sanabatur, mente aegrotaret, mentem ejus sanare festinavit Dominus, qui ad salutem mentis et corporis venerat. Ideo dixit: Quis tetigit vestimenta mea.

Quae eum tetigerat, Dominus manifestam facere noluit, non quod homines esset decepturus, qui fraudem hoc ipso facto impedire voluit, neque quod veritatem nollet confiteri, qui ideo, ut homines vera confiterentur, hoc fecit. Quare ergo Dominus manifestum non fecit, quis eum tetigisset? Quia decebat, ut sanata ipsa medico testis fieret, et ea quae manifeste sanabatur, virtuti, quae eam in abscondito sanaverat, testimonium redderet. Dominus non praepropere de se ipso testificatus est, quum in medio inimicorum suorum versaretur, sed stans expectavit, donec opus, quod fecerat, eum praedicaret. Hac itaque expectatione et amicis animum addidit, et inimicos arguit. Nam quum exspectando mulierem in medium produxisset, tam amici ejus, quam

inimici eam conspicati cognoverunt, hanc esse mulierem, quae omnes medicos molestaverat, sed et ab omnibus medicis molestiis affecta erat. Virtus autem, que exiit ab eo, missa est et tetigit foedum ventrem, quin ipsa foedaretur. Eodem modo nec ejus divinitas inhabitando uterum sacratum polluta est, quum et juxta legem et extra legem [1] sanctior sit virgo, quam illa mulier, quae sanguinis sui abundantia abominabilis erat. Rursus inimici ejus reprehendebantur et arguebantur, quod male agerent in eum cui efferata obediebat sanguinis profluvies, quae naturae inerat, si libertate voluntati suae indita obedientiam ei negarent.

Amici igitur humana ejus natura in fide confirmati, inimici autem arguti et correpti sunt [2]. Amici enim ejus edocti sunt, quod, quemadmodum virtus ejus ventrem doloribus cruciatum, quem tangebat, ad utilitatem ejus tetigit [3], ita et ejus divinitas, quae in humanitate habitabat, ad utilitatem humanitatis humanitati associabatur. Verum inimici ejus lapidem offensionis eum sibi ponere [4] maluerunt, dicentes : Legis imperitus [5] est, quia mulier juxta legem immunda eum tetigit, nec eam rejecit. Qui oculos propriis manibus tegentes se lumine privabant, non intellexerunt, illam virtutem, qua res immundae purificantur, nulla foeditate inquinari posse. Si enim ignis aurum aliasque res immundas vi sua purgat, quin ipse commaculetur, quanto magis virtus divinitatis Christi purificat, quin ipsa impura efficiatur ? Nam ignis purificatione non eget et certe nihil eum potest foedare. Et pura et impura si spatio quodam dirempta sunt, uno venti flatu et magno solis calore ad ea pertingente commiscentur, ut

1. Id est : Naturaliter.
2. Haec sententia ex cod. B. completa est.
3. Ad verbum haec sententia ita se habet : « Quemadmodum virtus ejus tetigit ventrem cruciatum, propter utilitatem hujus ventris tetigit eum », quae verba juxta contextum sit explicanda sunt : Quemadmodum virtus ejus, quae tetigit etc.
4. Ita in cod. B. In cod. A : « Inimici lapidem offensionis sibi elegerunt ».
5. Ad verbum : Puer in lege.

appareat, nihil aliud, quam quod vitam libertatis maculet, esse immundum [1].

Quare dixit Dominus: Quis me tetigit? Ut ea quae sanationem suam sciebat, non ignoraret, Domino fidem ipsius notam fuisse. Ergo ex recuperata salute cognovit, eum esse omnium medicum et ex interrogatione ejus comperit, eum examinatorem esse omnium. Cum vidisset, ut ait Scriptura, hoc quoque ei absconditum non esse, inde opinio in ea orta est, eum nihil omnino latere. Ideo Dominus ei ostendit, revera nihil sibi esse absconditum, ne ab ipso decepta discederet. Quum itaque didicisset, Christum plagas visibiles sanare, simul intellexit, eum rerum occultarum conscium esse. Qui corporis plagas sanat et mentis secreta scrutatur, hunc corporis et mentis pariter Dominum esse credidit. Quapropter, tamquam Dominus corporis, corpus cum passionibus ejus domuit, et, tamquam judex mentis, mentem cum cogitationibus ejus in lucem produxit. Absque dubio haec mulier exhinc timuit, ne mandatum ejus ullo opere transgrederetur, quia credidit, se semper conspici ab eo qui semel eam vidit, quum retro fimbriam vestimenti ejus tangeret; haecque oppido verebatur, ne in futurum vel cogitatis peccaret, sciens, nullam rem esse occultam ei qui argumentum ei praestitit, hujusmodi res ipsum non latere.

Si mulier sanata tacite ab eo discessisset, Dominus corona heroicae virtutis eam privasset; fides enim, quae in abscondito hoc bello fortiter pugnabat, in manifesto coronanda erat. Propterea caput ejus rationali corona redimivit dicens: Vade in pace; pax enim victoriae ejus corona erat. Sed ut manifestum fieret, quis sit auctor hujus coronae, postquam dixit: « Vade in pace » non tacuit, sed adjecit: Fides tua te sal-

1. Sensus hic esse videtur: Si res sic dictae mundae et immundae, e. g. ignis et res quaedam immunda prius spatio paululum distant et flante aura commiscentur, res munda cum immunda quasi una res efficitur, ex quo consequitur, immundum non ex natura rerum, sed ex libertate hominis originem deducere.

vam fecit, ut ostenderetur, pacem, quam os Domini quasi diadema composuit, coronam esse, qua fides mulieris coronaretur. « Fides tua te salvam fecit ». Fides, quae eam vitae restituit, profecto coronam promeruit. Ideo clamavit et dixit: Quis tetigit vestes meas? ut omnibus indicaret, aliquem majori confidentia, quam ceteros, ipsum tetigisse. Quemadmodum mulier eum præ ceteris honorare voluit, primo, quia retro ab eo accessit, dein, quia fimbriam vestimenti ejus tetigit, ita etiam oportuit, hanc mulierem prae ceteris honorari [1].

Scio, aliquem me tetigisse. Quare eam quae ipsum tetigerat, non vi in publicum produxit? Quia audaciam fidei docere voluit. Discat fides in abscondito furari et de suo furto gloriari, quum Dominus coram fidelibus [2] furtum fidei doceret. Fidem, quae furata erat, laudando excitavit, ut de furto suo gloriaretur. Fides furtum fecerat, et magnificabatur, fraude surripuerat, et laudabatur , ut patefieret, quantopere fides degener, quia non furabatur, pauper fieret, et quia vi non rapiebat, pudore suffunderetur. Ita et Rachel furata idolum laudata est et adhaerens justitiae coronata est. Michol quoque sua justitia Davidem abscondidit et per fraudem suam ad mercedem regni ejus vocata est. Mirabile auditu, quum omne furtum furi opprobrio sit, fidei furtum fures coram omnibus laude dignos efficit!

Quis me tetigit? Dominus thesauri furem thesauri sui quaesivit, ut eos argueret et confunderet, qui ipsius thesauros omnibus propositos et relictos furari nolebant. Infirmi in fide paupertate puniti sunt, fortes autem in fide cum fiducia quaerentes accurrerunt et in abscondito furari festinarunt.

Quis me tetigit? Virtus magna exiit a me. Qui sciebat, virtutem a se exiisse, isne ignoravit, super quem virtus, quae a se exiit, requiesceret? An

1. Ad verbum: Honorari eam, quae magis, quam ceteri eum honorare voluit. Ejusmodi repetitiones in Ephraemo non sunt rarae.

2. Ad verbum « fidem », quae, ut in praecedenti fideles significat Cf. ep. ad Rom. 1, 17.

fortasse virtus ab eo vi divulsa et sanatio eo nolente furto ablata est? Sed quia remedia dantur, quae sanitati utilia sunt, quamvis haec scientia in eis non insit, Dominus mulierem sanatam docere voluit, eum qui sanitatem ei dedit, ipsam optime nosse, simulque ostendit, se non esse quasi medicamentum, quod natura sua omnes sanat, qui id recipiunt, sed scientem et intelligentem se sua voluntate omnes, qui ipsum diligunt, sanare.

Haec ergo virtus a gloriosa divinitate exiit et foedum ventrem, qui juxta legem immundus erat, sanavit, ut pateret, divinitatem a nemine abhorrere, cui fides associatur. Fides enim arbor est, in qua divina dona requiescunt. Si immunditiae, quae ex lege est, fides voluntatis adjungitur, ipsa quidem separat et inquinat, fides tamen sanctificat et conjungit, et voluntas adunat et exaequat. Licet lex separationem praeciperet, tamen Elias credendo sanctificationem effecit, non ut inimicus legis, sed ut legi addictus. Noli putare, Eliam reprehendisse legem, quae praecepit, mundo cibo uti; nam lex docuit Eliam, cibum non posse immundum facere. Elias non fuit adversarius legis, neque lex legislatori adversaria inventa est. Elias infirmitatem legis cognovit et ideo juxta legem infirmus non ambulavit. Lex voluntatem [1] legislatoris scivit, et ideo secundum ejus voluntatem solvit et ligavit. Licet enim Elias ab immundo corvo cibum acciperet, tamen quodcumque ex ore Dei accepit, constanter observavit; patres autem eorum, licet ex mundo ore petrae potum in deserto acciperent, tamen id quod ex ore Dei accipiebant, observare noluerunt. Licet Elias a corvis immundis sancte [2] nutriretur, tamen postea a sancta divinitate spiritualiter nutritus est, et patres eorum, licet cibo angelorum corpora sua nutrirent, tamen mentem suam adoratione vituli nutriverunt [3].

1. Ita juxta cod. B in cod. A; « ordinem ».
2. « Sancte » in utroque codice legitur, etsi haud apte positum videatur.
3. Locus ex cod. B correctus; in cod. A sensus sanus deest.

Quod porro Elias dixit: « Ego solus remansi propheta Domini, non ita intelligendum, ac si conquereretur, quod justi nullibi darentur, sed peccatores reprehendit, qui illos extirpaverant. Non id desideravit, ut ipse solus justus inveniretur, quum ideo per triennium ab eis inventus non est, quia tales eos invenerat, qui a Deo non sunt inventi [1]. Ut enim gulosi et voraces prophetae Baali de multis convivis mensae Iezabelis gaudebant et delectabantur, ita et persecutio verorum prophetarum omnes, qui cum eis cervices suas aciei gladii submittere parati erant, quasi fascinatione quadam in illorum admirationem rapuit.

At nunc nostrum esset, oratione nostra [2] pro verbis prolatis gratias agere et silere; non ac si nos hunc sermonem composuissemus, sed ipsa haec verba propter suam cognationem alia excitarunt, ut simul cum ipsis effluerent. Sermo igitur a nobis institutus de his verbis tractavit: Quis tetigit me? Ego scio, virtutem magnam a me exiisse. Alius autem Evangelista scribit: « Virtus copiosa exibat ab eo et sanabat omnes [3] ». Dominus una tantum occasione confessus est, a se exiisse virtutem. Quare hac sola occasione id dixit, quum non semel insigne ejus donum ad sanandam manifestam immunditiam exierit? Ast Dominus noverat, se ex utero exiisse et noverat eos qui nativitatem ipsius non erant crediturі. Ideo suam virtutem in ventrem foedum misit, ut saltem per foedum uterum crederent, eum ex utero sancto exiisse.

Quis me tetigit, quia virtus magna exiit a me? Nullo alio loco de Medico nostro simile verbum dictum est, quia et nulla alia occasione similis morbus Medico nostro obvenit. Ad medendum similibus morbis multi medici solent advocari, morbo autem hu-

1. Sensus esse videtur: Elias haec dicens, non superbia elatus solus propheta et justus inveniri voluit; secus se non abscondisset, sed in pompa se monstraset populo, qui a Deo defecerat. Cf. 3 Reg. 18, 22.

2. Ex his verbis patet, praecedentia ex sermone s. Ephraemi de hemorrhoissa excerpta esse.

3. Luc. 6, 19.

jus feminae unus medicus obviavit. Quia plagae hujus feminae multi occurrerant et eam male tractarant, ideo ei unus occurrit, ut a molestia multorum quietem ei pararet [1]. Ars sanandi foedo morbo occurrit et dolores doloribus addidit. Quo plures veniebant, ait, tanto magis morbus invalescebat [2]. Fimbria autem vestimenti occurrit doloribus, et dolores radicitus evulsit. Et cognovit in se ipsa, quod sanata esset a cruciatibus suis (Marc. 5, 29).

Quum igitur ars, quae omnem sapientiam induerat, siluisset et cessasset, tunc divinitas vestibus induta praedicabatur. Induit carnem et descendit ad homines, ut, quae humana sunt, hominibus eriperet et extorqueret, divinam autem suam naturam per signa fidelibus [3] clare ostenderet. Noli ad solam humanitatem Domini respicere. Ostendit humanitatem, ut superi crederent, eum esse inferiorem, et ostendit divinitatem, ut crederent inferiores, eum esse superiorem. Carnem ab hominibus assumpsit, ut humanitas ad suam divinitatem pervenire posset, et divinitatem ostendit, ne ejus humanitas contemneretur.

Manus mulieris peccatricis pedes ejus amplexae sunt, ut gratiae dona a divinitate ejus acciperet. Dominus igitur ostendit suam humanitatem, ut mulier peccatrix ad eum accedere posset, itemque ostendit suam divinitatem, qua Pharisaeum argueret. Qui peccatricis lacrymis irriserat, ejus denudatis cogitationibus mulier peccatrix irrisit. Quia illa ex amore lacrymas, quae in oculis latebant, palam effuderat, Dominus quoque propter fortem ejus animum latentes Pharisaei cogitationes protulit. Mulier enim peccatrix Christum Deum habuit, ut fides ejus contestata est; Simonem vero Christum hominem putasse, cogitatio ejus ostendit. Dominus igitur inter utrumque se sistens parabolam protulit, cujus verbis peccatricem confortaret, quamque ex-

1. Hanc et sequentem sententiam ex codice B emendavi.
2. Nescio, unde haec verba sumpta sint.
3. Ad verbum « fidei », ut paulo superius.

plicans Pharisaeum argueret. Sed ecce, licet nunc, quasi in medium projecti ut Salomon in mediam mulierum societatem[1] incidissemus, tamen, etiamsi ut Salomon inter mulieres versaremur, non ad instar Salomonis a mulieribus vulnerati sumus. Filiae enim gentium Salomonem a cultu Dei ad sua idola illecebris suis seduxerunt, sed hîc fidem filiarum gentilium fide filiarum Hebraeorum majorem praedicamus. Salomonis uxores sano suo corpore sanam fidem Salomonis infirmam fecerunt, istae vero sanatione sua infirmam nostram fidem miro modo sanitati restituunt.

Quis inveniatur, quin hujus mulieris fide sanetur? Fides ejus fluxum sanguinis, qui duodecim per annos currebat, subito quasi in ictu oculi compescuit. Rursus per longum tempus multi medici eam aspiciebant, sed medicus ille Unigenitus uno temporis momento eam aspexit. Per multos annos, quibus mulier medicis utebatur, expensa ejus multa dissipata sunt; sed quum uno momento medico nostro uteretur, ipsius cogitationes dissipatae in una fide collectae sunt. Donec terrestres medici eam curarent, expensa terrestria eis dabat; quum vero coelestis medicus ei apparuisset, coelestem fidem ei obtulit. Dona terrestria apud terricolas in terra manebant, sed dona spiritualia ad numen spirituale in altum portabantur.

Medici dolores morbi ut bestias furore incitatas remediis suis permulcere studebant, quare et dolores ut bestiae furibundae eos et eorum remedia in omnes partes dispergebant. Quum vero omnes homines hos dolores fugere coepissent, festinanter a fimbria vestimenti virtus Domini exivit, quae eos aggressus exinde cohibuit et de illis triumphavit. Ab uno ludibrio fiebant illi dolores, a quibus multi ludibrio habiti erant. Unius medici nomen celebratum est per morbum, qui propter multos adhibitos medicos longe lateque diffamabatur. Quum mulieris manus multis stipendia daret, morbus ejus ne modicum quidem levamen accepit; quando

1. Sc. peccatricis et hemorrhoissae.

vero manus ejus vacua se extendebat, sinus ejus impletus est sanitate. Quamdiu manus ejus visibilibus stipendiis replebatur, ab invisibili fide vacua erat; quum autem visibile stipendium e manu excussum esset, invisibili fide repleta est. Visibile dans pretium visibilem sanationem non accepit; dans autem fidem visibilem, sanationem occultam accepit. Quamvis confidenter pecuniam expenderet, mercedem tamen pro confidentia non recepit; at quando dedit stipendia furto ablata, pretium eorum, occultam scilicet sanationem accepit.

Quum medici dolores mulieris augerent, quin sanaretur, alii medici astuti inita societate omnium animos fallebant, ne ab aliquo communis eorum ars diffamaretur. At Dominus in mulierem, quae astuta clam accedendo omnium sensus fallebat, aspere invehebat dicens: « Quis me tetigit », ut fides aperte declarata ab omnibus simul laudaretur. Et illi, quamvis uni mulierculae adhibitis remediis non possent mederi, tamen datis responsis multorum animos sanabant; at Dominus, etsi omnibus sanatione sua sufficeret, tamen in dando responso ne uni quidem sufficere voluit [1]. Quod fecit, non tamquam ignoraret responsum, quod mulier datura esset, sed ut praevertens describeret eos qui dicturi essent: « Tu venis et testificaris de te ipso, testimonium tuum non est verum ». Propterea, etsi virtus ejus mulierem sanaret, lingua tamen ejus illis non persuasit. Sed licet lingua ejus de hac re sileret, tamen opus ejus ut tuba de ea clamabat. Silentio igitur ejus superbia illorum et fastus reprimebatur, per interrogationem autem ejus et operationem veritas ejus praedicabatur.

Si unus tantum sensus [2] esset Scripturae verbis, primus quisque interpres eum inveniret et aliis, qui ea audiunt, nullus dehinc labor esset et sudor quaerendi, et nulla post inventionem oblectatio maneret. Verum quodvis verbum Domini corpus suum habet, et cuilibet

1. Haec sententia ex cod. B translata est, quia in cod. A media pars excidit.

2. Ad verbum: Facies.

huic corpori multa sunt membra, et singulis membris propriae suae formae et unusquisque, prout potest, audit, et sicut ei datum est, ita interpretatur. Itaque una mulier ante conspectum ejus venit, et sanavit eam quae venerat ante conspectum multorum, qui eam non sanarunt, id est, operam in ea perdebant. Unus, cujus facies aversa erat, eam sanavit, ut arguerentur ii qui magna diligentia ad eam se converterunt et eam non sanarunt. Infirma Dei, ait, fortiora sunt hominibus [1]. Sed quamvis exterior Domini facies in unam tantum partem spectare posset, ejus tamen interior divinitas tota et ubique oculus erat, quia ad omnes partes respiciebat.

Profluvium perniciosum in ventre mulieris siccavit et flumen praedicationis recuperatae salutis in ore ejus aperuit. Tetigit illa divinitatem ejus, et ab ea recepit sanitatem. Petra in deserto aquas sanctificantes emanavit, quibus duodecim tribubus populi potum praebebat, ista autem sanguinem contaminantem duodecim per annos emisit, quo omnia sui corporis membra foedabat. Petra baculo Moysis, signo Vivificatoris nostri, scindebatur, et sanguinis profluvium per fimbrias vestimenti Medici nostri siccatum est; illam quippe duram fidit baculus durus hoc autem vestis mollis exsiccavit. Attamen licet baculus aspicientibus durus videretur, humilitas crucis ei impressa erat, et vestimentum, etsi exteriori specie molle appareret, virtus tamen valida ab eo exivit. Mirabilis est haec sanatio [2]. Antequam semen e manu Christi excideret, terra, cui destinabatur, semina abundanter jam acceperat; et dum semen in horreo Domini adhuc retineretur, ad terram, in qua seminandum erat, festinavit, ut ex ea usuram af-

1. I Cor. 1, 25.

2. Propter amborum codicum auctoritatem, qui interpunctationem textus impressi habent, et quia pronomen „ejus" in eodem sensu mox sequitur, haec verba ita transtuli. Sensus est: Mirabilis fuit haec sanatio, quia, antequam verbum: „Fides tua te salvam fecit" ex ore Christi venisset, virtualiter jam egressum sanitatem operatum est.

ferret eorum quae ei praestita erant, et caput, quod acceperat, cum foenore redderet. Hoc est semen vere Dominicum. Quum enim ipsum in horreo suo absconditum maneret, fructum frumenti collegit[1] et dum in manu seminatoris sui esset, quasi in ictu oculi rationalia ejus grana e medio terrae intellectualis ad semen intellectuale[2] congregabantur.

Virtus exivit a me. His verbis excitavit degeneres colonos semen in horreis concludentes, ut in fide ipsius fortes consisterent. Porro pignus dedit veracitatis suae, quia et reliqua semina, quae seminabuntur, singula tempore suo centuplum fructum redditura sunt. Sunt enim semina, quae post aliquod tempus ad messem pertingunt, et sunt, quae in fine mundi metentur, et sunt, quorum messis in ipsa seminatione peragitur. Quum dicit: « Septuplum accipiet in hoc tempore[3] », designantur semina, quae post breve tempus metuntur. Et quum ait: « Tunc dicet rex ad eos qui a dextris sunt[4] », semina indicantur, quae in fine metentur. Quod vero mulieri retro post eum ad fimbriam vestimenti ejus accessit, est semen, quod illico, quum spargeretur, fructus suos in horrea intulit. Grano frumenti, quod in utero terrae seminatur, ex spinis in eo latentibus zizania se adjungunt et cum eo prodeunt; semini autem fidei, quae in fortitudine animi audacis latebat, virtus Dei adjuncta est et cum ea prodiit[5].

Hemorrhoissa quum audisset, Christum praefecto synagogae[6] dixisse: Crede et vivet filia tua, secum cogitavit, eum qui potestatem habeat, animam filiae duodecim annorum in corpus reducendi, etiam plagam duodecim annorum a corpore separare et ex-

1. Ad verbum: Ad se conduxit.
2. In textu impresso: Ad semen lugubre. Sed cod. B recte pro սգացող i. e. lugubre, habet զգացող i. e. sensibilis, intellectualis.
3. Marc. 10, 30.
4. Math. 25, 34.
5. Locus hic ex cod. B emendatus est; in cod. A sensus sanus deest.
6. Ad verbum: Summo sacerdoti.

pellere posse. Et quum audiret dicentem: Firmiter crede et vivet filia tua, inde intellexit, se fidem medico pro pretio dare posse. Qui verbo oris sui sanabat, fidei, quae est fructus oris, mercedem exegit [1]. Sanatio ex ore Christi exivit, et fidem ex ore mulieris negotiatus est. Sanationem manifestam dedit et pretium manifestum postulavit. Sanatio e labiis ejus procedens palam audiebatur; ideo fidem labiis propalatam poposcit. Attamen quum mulier coram omnibus, quid factum esset, confiteretur, et ei fidem non praestarent, maxime ea ex causa, quia ejus dolores absconditi erant nam et quum oculos coeci aperiret, eum insanire dixerunt, et quum Lazarum vitae redderet, ex eis ipsis, qui viderant, nonnulli non crediderunt, propterea puellam duodecim annorum in vitam revocavit. Qui enim duodecim annorum vitam corporis non interruptam in locum suum reduxit, potuit et fluxum sanguinis per duodecim annos non interruptum reprimere et a loco suo ejicere. Qui unum potuit reducere, potuit et alterum expellere, et qui illius filiae omnia membra emortua vivificavit, potuit et ventrem hujus mulieris sanare.

Postquam autem mulier sanata est, dixit Dominus: « Quis me tetigit », scilicet, ut ipsa coram eis de recuperata sua salute testificaretur. Idcirco etiam de puella dixit « dormit », ut ipsi testes fierent, quod mortua esset, ut, quando eam vitae redditam viderent, derisores in testes ejus converterentur. Testimonium enim de morte puellae ab eis editum, et resuscitatio puellae testes erant, qui mortem Domini praecedebant, ne increduli fierent, quando eum redivivum viderent. Itaque data elegendi facultate inter haec duo eos posuit. Si enim in posterum iterum dicerent, puellam dormivisse, per hoc quoque etsi nolentes [2] eum magnificarent, quia omnibus spectatoribus dijudicantibus et affirmantibus, eam fuisse mortuam, ipse, antequam puellam videret, scivisset, eam dormire. Si autem dicerent, eam non dormi-

1. Haec ex cod. B; in cod. A nonnullae voces omissae sunt.

2. Ita in cod. B; in cod. A: Quum non possent.

visse, vita puellae reddita eos convinceret, Dominum esse Vivificatorem. Et si denuo dicerent, eam dormivisse, scientia Christi ejus divinitatem eis comprobaret. Quum illi unum rejicere [1] vellent, Dominus confunderet eos per unum et alterum. Porro si gravi somno oppressa fuisset, quomodo sola Christi voce excitata esset? Et praecepit, ut ei darent aliquid ad manducandum, ut indicaret sanitatem, quam unacum vita receperat; non enim aegrotis similis erat, qui paulatim ad salutem reducuntur. Qui igitur de mulieris hemorrhoissae sanatione dubitabant, multo magis, quam hi, qui in puellae resuscitatione aderant, confusi et per puellam ad vitam revocatam reprehensi et convicti sunt. Nam sanatio ventris in abscondito, corporis autem vivificatio in manifesto fiebat. Quare id quod in abscondito erat, credibile factum est per id quod in manifesto fiebat. Scriptura dicit: Timens et tremens a tergo ejus fimbriam vestimenti ejus tetigit etc. [2]. Si haec fimbriam vestimenti ejus timens et tremens tangebat, quanto magis nos cum timore et tremore oportet accipere [3], quando corpus et sanguinem ejus tangimus, quod est pignus vitae nostrae.

## CAPUT VIII.

Misit eos binos juxta similitudinem suam [4] (Matth. 10, 1-28), id est, sicut ipse sine mercede praedicavit, ita et illi faciant, juxta verbum suum:

1. Ad verbum « abalienare circa unum ». Sensus esse videtur: Illi unum, nimirum Christi divinitatem, negare volebant, Christus autem confudit eos per hoc dilemma. Aucher: « Dum vellent per unum abalienare ipsum, confudit illos duobus ».

2. In cod. B deest hoc citatum, et sequens sententia ita se habet: Si timens et tremens haec a tergo ejus fimbriam vestimenti ejus tangebat, quanto magis etc.

3. Sic in utroque codice. Quid accipiamus, notum supponitur.

4. Verba « juxta similitudinem suam », in utroque codice in rubro scripta, ad citatum referuntur.

Gratis accepistis, gratis date, ut eum imitarentur. Porro misit eos, ut veritatem praedicarent, miracula facerent et mala paterentur, sicut ipse fecerat, et hac ratione eum in se ipsis quasi in imagine expressum existiment. In viam gentium ne abieritis. Idem est, quod mox dicit: Ad oves perditas domus Israel. Qui quum eos non recepissent, dixerunt eis Apostoli: « Abhinc convertimur ad gentes [1] ». Itaque, ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, quod dixit, ut eos doceret, quamdiu pastor apud eos esset, nihil eis posse nocere. Et ut eos confortaret, dicit: Qui vos suscipit, me suscipit. Nolite, ait, possidere aurum, ne in vobis Iudas inveniatur et id quod Achar vita privavit, et Giezi lepra obtexit et totum populum seduxit in deserto. Et argentum ab eis prohibuit et amovit, ne quis eos mercatores putaret et non praedicatores.

Et quod dixit: Virgam in signum nimirum regiminis et humilitatis. Non baculum [2], quia non ad gregem furientem pascendum exierunt, sicut quondam Moyses. Sed et hoc observa, Moysen, quum grex in pastorem suum rabie ageretur, baculo dimisso gladium sumpsisse; et quia hic grex in pace habitabat, dimisso baculo virga assumpta est. Porro non dixit « caligas », quas si portarent, ab omnibus rejicerentur, sed sandalia, ut ita forsitan praemium mandatorum suorum acciperent. Sed licet plebeji essent, tamen eos exaltavit eisque similitudinem dedit Moysis, qui ossa justorum [3] secum portabat, et hi corpus, omnia corpora justificans [4], accipiebant et secum habebant. Et si Moyses tribus nominibus domus Abrahami [5] Deum cum filiis legem transgressis reconciliavit, quanto magis hi

1. Act. Ap. 13, 46.

2. In versione quoque Armeniaca ῥάβδος apud Marc. 6, 8 « virga », apud Math. 10, 10. « baculus » transfertur.

3. Sc. Iosephi Aegyptiaci. Pluralis h. l. adhibetur ut Math. 2, 20.

4. I. e. Eucharistiam.

5. Domus Abraham in Syriaco: Abraham, Isaac et Iacob potest significare, et ita h. l. explicanda est.

tribus nominibus divinitatis omnes gentes quae sunt familia Adami, expiabunt?

In quamcunque domum intraveritis, primum salutate domum, ut Dominus ipse intret et in ea diversetur, sicuti apud Mariam [1] diversatus est, et tunc illi qua discipuli ejus ibi hospitentur. Haec salutatio mysteriuu est fidei ejus in terra, qua coërcetur inimicitia [2], bellum compescitur, homines invicem se agnoscunt. Cujus salutationis effectus velamine erroris tectus erat, licet jam prius mysterium resurrectionis mortuorum [3] esset praefiguratum, cujus et imaginem res inanimatae efformant, quum lux advenit et aurora noctem expellens apparet. Exinde autem homines sibi invicem salutem dicere et dictam excipere coeperunt, ut haec imprecatio dicentem sanaret et excipienti benedictionem afferret. Qui autem verba tantum hujus salutationis accipiunt, nec sensum eorum membris suis impressum habent, super hos quasi lux diffunditur et ab eis permutatur, sicut radii solis a terra.

Haec est salutatio, quae praedicata est nomine, abscondita virtute, explicata per scientiam, ordinata per mysterium, et omnibus hominibus omnino sufficiens est. Quapropter a Domino quasi praecursor cum discipulis missa est, ut pacem faceret et viam ante faciem eorum pararet, dum celerem vocem induebat Apostolorum, qui coloni ejus erant. Haec salutatio in quavis domo seminabatur, ut membra ejus separaret et dirimeret, et in omnes auditores intrabat, ut filios sibi cognatos [4] secerneret, segregarent et in eis permaneret. eos autem, qui diversae indolis erant, palam faceret et post seminationem ab eis transiret. Haec salutatio, ex Apostolis effluens, in fratribus eorum non exaruit, ut patefieret, thesaurum Domini, qui eam misit, non deficere. Nec permutata est in istis suis acceptoribus ut conte-

1. Mariam sororem Lazari h. l. intelligo.
2. Ita ex cod. B. In cod. A « inimicus ».
3. Resurrectio mortuorum h. l. pro toto opere divinae redemptionis, cujus finis et quasi corona est, posita videtur.
4. Ad verbum « filios familiae suae ».

staretur, dona datoris sui certa esse et fidelia. Haec enim salutatio apud eum erat, qui eam dabat, et apud eos qui eam accipiebant, quin minueretur et separaretur. Haec salutatio manifestum fecit, Patrem natura sua apud omnes et in omnibus esse, et declaravit, Filium a Patre missum, et totum esse apud omnes, et finem suum apud Patrem. Quoniam autem Filius imago est Patris, numquam cessavit praedicare, nec docendo defatigatus est, donec figurae typicae, rebus ipsis implerentur, imagines per veritatem finem acciperent, adumbrationes ipso corpore sufficerentur et omnia mysteria per veram repraesentationem emensa, definita et consummata essent.

Ideo verbum Christi in auditores, qui id capere possunt, quasi coagulum mittimus, quo separentur, sed et uniantur; nimirum separentur et disjungantur a massa cruda mundi, uniantur autem Christi qui communitatem ecclesiae colligit. Cui magna corona, magnum quoque certamen esse oportet. Licet id ita se habeat, tamen gloria victoriae cum parvitate certaminis comparari nequit. Caveamus autem, ne error subdole ad nos intret et arma nostra induat, quia faciem suam ad omnes colores mutat et calicem suum omni genere potus temperat [1]. Nos Christiani Iudaei sumus in abscondito, circumcisi spiritu, benedicti per regenerationem [2], et per sanguinem Christiani et per sanationem integra valetudine gaudentes.

Discutite pulverem pedum vestrorum, ut indicent, Deum de illis vindictam sumpturum esse, quia et pulverem, qui eis ex via adhaesit, in illos rejiciunt, unde cognoscant, hos per viam eorum transeuntes ad eos reversuros esse [3]. Qui pulverem justorum remissum accipiunt, nisi convertantur, vindictam quoque merentur justorum, qui pulvere, non autem

1. Ita probabilius juxta cod. B. Lectionem cod. A et textus impressi Aucher vertit: Et lavat calicem suum cunctis partibus.
2. Ad verbum: Per nativitatem.
3. Nimirum tamquam judices.

coeno eorum foedantur. Tolerabilius erit terrae Sodomorum, i. e. quia angeli, qui Sodoma venerunt, signa non fecerunt, sed per ipsam Sodomorum urbem toti mundo signum dederunt. Hi viderunt signa, ut scriptum est: « Caeci viderunt », sed angeli Sodomis eos qui viderunt, caecos fecerunt. Tolerabilius ergo erit urbi Sodomorum, quae omnia hujusmodi mala fecit. Porro urbi discipulos ejus non suscipienti severius erit judicium, quam illis, quia Sodoma in angelos peccarunt, haec vero urbs, discipulos non suscipiens, Deum ipsum spernit: « Qui vos spernit, me spernit[1] ». Estote ergo innocentes ut columbae, et prudentes, ut serpentes. Quod dicit: Cavete ab hominibus, id est, non ab illis hominibus, qui vos tradent, sed ab illis, qui veniunt ad vos in vestibus ovinis, intus autem sunt lupi rapaces.

In quam civitatem intraveritis et non susceperint vos, fugite inde in aliam civitatem; et si ab hac persequentur vos, fugite denuo in aliam civitatem. Quod non ad omnes homines extendit, sed de solis dixit discipulis, quia initium erat novae praedicationis et illi pauci erant numero. Ne forsitan contra eos congregarentur et perderent de terra memoriam eorum et evangelium ejus in gentibus et doctrina et institutio ejus in creaturis[2] impediretur, ideo dixit: Si ex ista regione vos ejicient, fugite in aliam. Si Apostoli non fugissent, quo tempore Stephanus lapidabatur, ne ipsi quidem supplicium evasissent. Ast si Dominus in omnes generationes hoc suum mandatum extendisset, quis inveniretur, qui martyrium propter ipsum subiret? Porro ut ostenderet, se ne Apostolos quidem a martyrio exemisse, denuo, quod bene intelligas, eos inflammavit, ne terrerentur et angerentur, quando eis simile aliquid accideret, quod eis in se ipso monstravit, quando non fugit ab eis qui eum in crucem acturi erant, idque

1. Luc. 10, 16.
2. Creaturae h. l. ut M. 16, 15 genus humanum significat.

aperte eis dixit his verbis: Si me persequuti sunt, persequentur et vos.

Et dixit: Ne timete eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et ecce videmus eos quibus dicebatur: « Omnes fugietis » singulos se offerre in sacrificium laudis, in testimonium omnium gentium. Aut quoniam magnam potestatem eis dederat, quum eos eligeret, quia illo tempore id necessarium erat, ideo, ne de hac potestate superbirent, eos exercuit in humilitate dicens: Si ejecerint vos ex illa civitate, fugite in aliam. Simili modo Dominus, dum apud eos erat, eis non concessit, quod postularunt dicentes: « Visne, dicemus et descendet ignis et comburet eos? [1] ».

Et quia discipuli apud se cogitarunt: Quia dixit: « Ad Samaritanos et gentiles ne abieritis », et addidit: « Si vos ejecerint ex una civitate, fugite in aliam », si defecerint urbes, quid faciemus? ideo animum eorum firmavit dicens: Amen dico vobis, non poteritis consummare has urbes, donec venero ad vos. Quia post resurrectionem venturus erat, ait: « Non poteritis consummare omnes urbes, donec ego venero ad vos ». Nimirum ad urbes, quo ipse erat venturus, eos misit. Aut: « Non poteritis eas consummare », significat, quod virtus ipsius post triduum et post resurrectionem suam [2], quae est adventus ejus, ad eos ventura erat. At, si bene attendimus, dixit ad eos, quod ejicientur ex multis civitatibus, et postea [3] eis apparebit; revera tamen ita non fecit, sed eorum pusilanimitati sua apparitione subito opem tulit; post resurrectionem enim eis apparuit, eos confortavit et insufflando renovavit.

1. Luc. 9, 54.

2. Ad verbum: Post triduum post resurrectionem suam; in cod. B: Post triduum resurrectionis suae.

3. In hac acutiori interpretatione vox « postea » premitur, quasi longum temporis intervallum inter Apostolorum persequutionem et Christi adventum significaret, quod a Domino ex misericordia breviatum est.

Quae vobis dico in tenebris, dicite in lumine, i. e. quae vobis dico in abscondito, alta voce proclamabitis, quod explicat dicens: Quod aure auditis, praedicate supra tecta. Aut populum designavit dicens: « In tenebris », et populos dicens: « In luce ». Et ait: Ne timueritis eos qui occidunt corpus, ut doceret, homines in corpus tantum habere potestatem, Deum autem etiam in animas, ut eas mitteret in gehennam. Et si objiciunt: Quomodo perduntur animae in gehenna, quum corruptio et mors eis non dominetur, et si quaerunt, quomodo corpus ibi perit, quum absque dubio vermis et fremitus dentium illic sit, per hunc Scripturae locum clarum responsum datur, quia non tantum anima immortalis non moritur, sed nec corpus, nam et hoc permanet quin intereat [1]. Verba autem: « Qui perdit corpus », de morte temporali dicta sunt. Si enim revera corpus periret, in gehenna non esset, quia gehenna cruciat corpora viva, non autem interficit corpora corruptibilia.

Quia multi corruptionem timent et per mortem temporalem animo anguntur, Dominus hoc verbo eos voluit excitare et docere, magis timendum esse eum qui animam et corpus perdit in gehenna. Animae ergo non decedunt, ut morte deleantur, sicut nec Deus revocat dona sua, quae sine poenitentia dantur, nec umquam certa promissio resurrectionis corporis irrita redditur. « Ne timeatis », quia nempe anima non moritur, si enim morti obnoxia esset, nos timere oporteret. Quae cum ita sint, nec de corpore nostro, quod corrumpitur, timendum est, quia non anima, sed Deus dissolutionem corporis efficere potest. Sicuti ergo Deus corpus, quod corrumpitur, format, ita et animam condit; et qui corpus et animam ex nihilo creavit, etiam ea vivificare potest, postquam esse coeperant. Non enim immortalis anima corpora mortua vivificare potest, sed qui haec

1. Sensus est: Animae sic pereunt in gehenna, sicut corpora in ea pereunt, nimirum, cruciantur.

efficit, solus Deus est [1]. Ne timueritis, ait, eos qui hanc vestram vitam perdunt, sed illam vitam vestram non possunt perdere. Hoc ideo dixit, quia discipuli audierunt atque a Saducaeis aliisque audituri erant, non dari resurrectionem.

Duo passeres asse veneunt. Duo, non unus. Ostendere voluit vilitatem passeris. Quae enim majoris pretii sunt, singula veneunt, quae vero vilia, multa simul quasi olera venundantur. Et unus ex eis non cadit in terram sine Patre vestro. Si passeres, qui parvi pretii et quasi umbra sunt, non capiuntur, non dixit « sine Deo », sed « sine Patre vestro », nonne haec Patris de parvis rebus providentia praeclarum exemplum nobis est majoris sollicitudinis et amoris, quem erga nos habet?

Confitebor eum coram Patre, quasi dicat: « Venite benedicti Patris mei ». Et quod dicit: Negabo eum, ut et illud: « Non novi vos »; non ac si ei essent aliquo modo absconditi, sed quia eos non confitebitur tamquam suos. Intellige, quam exacte eos noverit, quoniam eos repudiat, nec recipit.

Nolite putare, quod veni mittere pacem in terra. Ubi ergo est illud, quod omnibus dicitur: « Christus venit, ut pacificaret id quod in coelo, et id quod in terra est [2]. Certo Dominus pacem praedicavit, ut et Apostolus dicit: « Fecit nobis pacem [3] », et alio loco: « Qui eum receperunt, pax super eos [4] ». Verum alia ex parte non misit pacem, propterea quod fideles ab infidelibus per eum separati sunt. Veni separare hominem a patre etc. Separantur, ait, mente, quia in fide nunquam recte cogitant, quum unus sic Deum colit, alius vero aliter [5]. Gladium, ait, quo noxium amorem spirituum abscinderet et ut sagittas

1. Ita ex cod. B.
2. Ad Col. 1, 20; et Eph. 2, 17.
3. Ad Eph. 2, 15.
4. Cf. Ad Gal. 6, 16.
5. Ad verbum in cod. B: Alius vero ab eo separatur; in cod. A juxta Aucher: « Et alter discernit contra eum ».

dulcis sui amoris in eos mitteret[1]. *Qui vult invenire animam suam, perdet eam.* Quomodo hoc intelligatur, quum perditio et inventio de una eademque anima praedicetur? Videlicet is qui coram persecutoribus confitetur, animam suam perdit, sed apud Deum invenit. Dicit: *Qui perdit animam suam propter me, inveniet eam.* Qui igitur propter Christum perdit animam suam, eam apud Christum invenire necesse est; Deus enim, propter quem anima perditur, curam geret, ut inveniatur, quia manus ejus manus est ad omnia pertingens et brachium ejus fortius est omnibus, ut eam ex omni loco eripiat. Amorem suum, quo omnes homines complectitur, omnibus minorem et subditum fecit, ut amorem hominum, quo Dominum omnium rerum complecterentur, omnibus majorem redderet. *Qui me non amat plus quam animam suam* etc.

*Venit Maria et sedit ad pedes Iesu* (Luc. 10, 38-42) i. e. tamquam in solida terra ad pedes ejus sedit, qui et mulieri peccatrici veniam dederant peccatorum. Quae quum diadema sibi conficeret, ut intraret in regnum Unigeniti, *bonam partem*, bonum nimirum Christum, solam *elegit*, *ut in aeternum*, sicut dictum est, *ab ea non auferatur.* Marthae autem charitas magis effervescebat, quam Mariae, quia, ut primum Christus venit, Martha coram eo in servitio stabat. *Non est tibi cura de me; dic sorori meae, ut me adjuvet.* Et quum venisset, ut Lazarum resuscitaret, haec quoque prior ei obviam cucurrit.

1. In textu impresso vox վերոյ delendum est et pro զնետաւլեցս legatur զնետս հեղաւլեց, ut est in cod. B.

# CAPUT IX.

Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? (Math. 11, 2-14) Nequaquam dubitavit de eo. Qui enim in deserto viam paravit, nec cunctatus est in ventre exultare, qui in baptismo nullam sibi gloriam attribuit, quia dicebat: « Me oportet a te baptizari », et: « Ecce agnus Dei, hic est, qui tollit peccata mundi », et: « Non sum dignus, ut solvam corrigias calceamentorum ejus », qui haec omnia publice praedicavit, quomodo postea de eo dubitavit, in primis post testimonium Spiritus, qui descendit in similitudine columbae, et post vocem ex coelo factam: « Hic est filius meus dilectus etc. »? Sed haec verba ita interpretamur. Sicut prophetae ea quae locuti sunt, propter se et eos qui ipsos audire debebant, dixerunt, et sicut Dominus ait: « Propter populum dico hoc, ut credant [1] », ita et Ioannes, quum tempus instare videret, quo ex hoc mundo migraret, et intelligeret, se Salvatorem etiam in morte praecedere debere, quem in nativitate in hanc vitam praecessisset, curam gessit, ne discipulos suos ita relinqueret, ut aberrarent et quasi grex sine pastore dispergerentur.

Misit ~~Ioannes~~ discipulos ad eum, non ut eum interrogarent, sed ut eis quae ipse antea dixerat, a Domino quasi sigillum apponeretur; ideo mentem discipulorum ad eum direxit. Quum, ait ~~Scriptura~~, alii discipuli eum audiissent de Domino loquentem, et hunc vidissent, relicto sine tristitia Ioanne, sequuti sunt eum. Sicuti in baptismo bonam suam voluntatem ostendit, quia sacerdotium domus patris sui sibi non vindicavit [2], ita et hîc discipulis thesauros, quos non furatus erat,

1. Ioan. 11, 42.
2. Cf. supra pag. 42.

tradere voluit. Misit eos ad Christum in hunc finem, ut miracula conspicati in fide ejus confirmarentur. Et dixit ad eos Iesus: Ite et narrate Ioanni, non quod audistis, sed quod vidistis[1]. Ecce coeci vident et claudi ambulant, i. e. si opera, quæ ego facio verbis Ioannis testimonium non perhiberent, ejus sermones omnino essent falsi; quum autem veri et certi sunt, ne sonum eorum sequere, sed sensum intellige.

Dominus exorsus est ab eis, quae facilia videntur, quamvis in miraculis parvum et magnum ex eadem lance pendeat. Coeci vident et claudi ambulant et leprosi mundantur et surdi audiunt et in fine quasi sigillum omnium hoc dixit: Mortui surgunt, quia hoc est opus principale bonitatis Unigeniti, quo mala, quae Adam in mundum introduxit, solvuntur et tolluntur. Ad haec disce, quod sequitur: Beatus erit, qui non fuerit scandalizatus in me, quibus verbis discipulis Ioannis certam dedit significationem, ne de ipso scandalizarentur. Si quidam objiciunt, propter Ioannem Dominum dixisse: « Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me », respondemus, quia priora propter Ioannem dicta sunt, consequenter et hanc laudationem propter Ioannem dictam esse. Ut enim discipulos Ioannis praemoneret, non autem, quia de Ioanne dubitavit, haec dixit; nec ideo, quia Ioannes in fide sua infirmabatur, hunc nuncium ei remisit, de quo testantur ea quae sequuntur. Nullibi enim in sequentibus respondet ad quaestiones, quae Ioannes ad ipsum miserat, sed, postquam discipuli Ioannis abierant, dicitur: Coepit dicere ad populum de Ioanne. Coram discipulis Ioannis noluit gloriam ejus praedicare, ne putarent, se ab ipso explorari, quum eorum magistrum coram eis magnificaret.

1. Ita ad Verbum. Quum apud Math. 11, 4 legatur: « Quae audistis et vidistis », verba: « Non quod audistis, sed vidistis » forsitan ita intelligantur: « Quae non solum audistis, sed et vidistis ». Cf. Ioan. 1, 13.

Quid existis videre in deserto? arundinem vento agitatam? i. e. num Ioannes timebat persecutores et ab omni vento flectebatur, ut aliquando diceret: « Ecce agnus Dei », et postea nuncium ad eum mitteret: « Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? ». Aut hominem in vestitu molli, ornatum, i. e. nobilem. Secundo hoc loco prior locus explicatur. Ioannem enim non mollibus vestibus indutum fuisse, alibi Scriptura de eo testatur, ubi dictum est: « Vestitus erat veste ex pilis ~~camelorum~~ ». Similiter et arundo non sensu proprio accipienda est. Credidit ille et non dubitavit. Sicut Ioannnes non erat arundo inutilis, ita nec vestibus mollibus indutus erat. Tales in palatiis regum versantur, non in deserto. Propheta est, immo plus, quam propheta, quia prophetae de adventu regis praedixerunt; Ioannes autem solus dignus erat, qui diceret: Hic est, quem prophetae praedixerunt. Si ergo major est, quam prophetae, non est arundo vento agitata.

Sed Ioannes, cum videret, cursum vitae suae consummatum esse, gregem suum principi pastorum tradidit, sicut et Dominus mortis suae tempore [1] gregem suum, ut pastoralem curam, quam de eo gereret, demonstraret, pastorum presbytero Petro [2] tradidit, cujus os confessum erat, cujus lacrymae sponsionem fecerant. Antequam Dominus sponsionem accepisset, ne paucas quidem oves ei tradidit, et tres partes confessionis, quas Petrus dabat, tanquam fida pignora accepit pro tribus partibus gregis, quas ei tradebat. Quum Magister ad eum diceret: « Amas me », confessionem sincerae charitatis ab eo recipere voluit, ut, postquam charitatem suam quasi pignus dedit, ipsius oves acciperet et pasceret. Quum vidisset, eum ore suo testimonium reddidisse et lacrymis suis quasi sigillo confirmasse, dedit ei et mercedem, quae pastoribus reposita est, nempe mortem martyrii, quae corona est victoriae discipulo-

1. Ad verbum: « Quum moreretur ».
2. Vox " Petrus ,, in cod. B deest, sed ad marginem nota est, quae aliquid deesse indicatur.

rum suorum et pastorum. Antequam Dominus a Simone charitatis testificationem accepisset, sortem suae mortis ei dare non potuit, ut et ipse pro ovibus suis, nisi eas amasset, animam suam non dedisset.

Videns autem Ioannes in spiritu, quem habebat, etsi Dominus ipsa virtus esset sanandi, quum continuo virtutem suam in se haberet, tamen fidem in eum, qua sanandi opus haberent, non continuo adesse, propterea discipulos ad eum misit, quo tempore omnes argumentum accipiebant, eum verum esse Messiam. Immo ipsa missio ostendit, manum Christi omnibus imperare. Commendavit ei oves suas, ut Dominus ipse gregem confortaret, et qua pastor studium et industriam suam ostenderet. Ioannem vero non dubitasse, Dominus testatur dicens, eum esse plus quam prophetam. Et si Ioannes plus erat, quam propheta, quantus erit honor ejus, quum status propheticus jam gradus major est in genere humano? Num forsitan propter sacerdotium ita eum vocavit Dominus? Sed ecce, plures alii dabantur sacerdotes. Aut propter prophetiam ejus ita eum vocavit? Sed erant et plures prophetae.

Quae est ergo gloria Ioannis, qua omnes ex muliere natos transgressus est? Haec forsitan, quia dictum est: Ecce mitto angelum meum ante te. Non solum nomen angeli accepit sed et actibus suis eo dignum se exhibuit. Si bene consideras, ejus honor non est minor honore angelorum, quia totum mundum sprevit et coelestibus servire studuit. Si opponis: „ Etiam inter duodecim prophetas unus vocatus est „ angelus meus [2], respondeo, hunc a parentibus suis ita nominatum esse, sicuti ceteris hominibus nomen datur. Aliud est nomen, quod a parentibus datur, aliud nomen hono-

1. Haec sententia in cod. A et textu impresso ad verbum sic habetur: " Et tres partes, quas dedit fida pignora, accepit pro tribus „ ; et in cod. B : " Et tres partes, quas dedit, fida pignora acccepit pro tribus „. In versione non verba, sed sensus expressus est.

2. Sc. Malachias propheta, cujus nomen " angelus Dei „ significat.

rificum, quod a Deo in retributionem operum imponitur. Si autem dicis, propter coelestem conversationem illum prophetam « angelus meus » a parentibus vocatum esse de hac re amplius non contendemus. Sed de Ioanne testatur Scriptura : Non est major inter natos mulierum. Si quis sanctus est, glorificatur, si quis justus, honoratur, si quis probus, fortis et sapiens, gradu gloriae dignus est. Verumtamen, si hi omnes jungerentur et in uno homine simul inessent, tamen eum non aequarent, quem Deus dilexit et de quo manifestum fecit, eum tantopere homines superasse et in ordine stetisse angelorum.

Sed qui minimus est in regno caelorum, major est eo. Iterum stulti quidam dicunt, minimum quemque fidelium Ioanne majorem esse in regno caelorum. Sed absit a nobis, de Ioanne, viro sancto Dei, ita loqui, quia qui militem regis offendit, ipsum regem non honorat, et qui sacerdotem spernit, Dominum ejus spernit. Sed per haec de magnitudine Ioannis dicta abundantiam misericordiae et gratiae suae nobis voluit annunciare et docere, quanta bona electis suis donasset. Nam si Ioannes, tantopere magnus et celebratus, cum minimo in regno coelorum comparatur, honore manet inferior, ut s. Apostolus ait : « Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus », et mox : « Videmus quasi in speculo, et cum venerit perfectum, tunc cessabit id quod parvum et ex parte est [1].

Magnus est Ioannes, praescius enim dixit : « Ecce agnus Dei ». Sed haec magnitudo, comparata ad gloriam, quae revelabitur eis qui digni invenientur, parva tantum degustatio est. Non quod Ioanne e vita egresso minimus quisque in regno major est, sed quod omnia magna et mirabilia, quae hîc sunt, ad illam beatitudinem parva apparent et quasi nihilum inveniuntur, ideo dixit : « Qui minimus est in regno coelorum, major est illo ». Alii dicunt : Si nemo fuit inter natos mulierum, sicut Ioannes, ecce etiam Dominus natus est, qui sine

1. I Cor. 13, 12.

dubio major est quam Ioannes. Sed non de se ipso dixit, nec se cum eis de quibus loquebatur, comparavit, quia ipse filius est virginis et non ex matrimonio natus. Igitur « Minimus in regno » non forsitan Iesus est, nec alius quidam ex persona speciatim designatus, sed expressio est generalis, quae ad omnes extenditur. Alii de Elia hoc dictum esse credunt.

Sed nos dicimus : Quia Ioannes dignus habitus est, magna dona in hac terra possidere, prophetiam nempe, sacerdotium et justitiam, ideo Dominus ait : Hic vir mirabilis, magnus, bonus et justus, a Patre coelesti vobis missus, scientia et fide omnes superans, hic minor est, quam minimus in regno coelorum. Alii dicunt, quia Dominus eum ab hoc carcere liberaturus erat, ideo de dignitate prophetarum [1] loquens dixit : « Non est inter natos mulierum major Ioanne, et natos ex muliere prophetas vocat, quia et dixit : Lex et prophetae usque ad Ioannem. Ergo major est Ioannes, quam Moyses et prophetae ex quo patet, legem egere novo Testamento, quia is qui major est prophetis, ad Christum dixit : « Ego opus habeo, ~~ut a te~~ baptizer » etc. Porro magnus est Ioannes, quia conceptus per gratiam, natus cum miraculis Vivificatorem monstravit et in remissionem peccatorum baptizavit. Qui remissionem peccatorum praedicat, legem, peccatorum vindicem, solvit. Propterea nullus inter natos ex muliere major est Ioanne, quia remissionem praedicavit, quum poena legis esset manifestatio [2]. Et quum venit, qui major est prophetis, solvit legem, ut, quod lege majus est, initiaret per gratiam. Solvit Ioannes legem et Dominus Ioannis solvit mortem. Ecce a duabus sententiis liberati sumus, videlicet a sententia naturae et a sententia legislationis. Fides spectat ad ea quae nos praecedunt, patientia ad ea quae consequuntur [3],

1. Ad verbum : De prophetia prophetarum. Sensus esse videtur: Dominus Ioannem Moyse et prophetis majorem dixit, ut ex reverentia eum ex carcere dimitterent.

2. Ad Rom. 4, 15 : « Lex iram operatur ».

3. Ad verbum : Fides ante nos, patientia post nos.

ut quod fides promittit, patientia exequatur. Os Eliae bona continebat, quia os ejus porta erat bonorum; ita et os Ioannis et ligationem et solutionem perfecit. Correxit peccata per remissionem, et sanctificavit aquas ad expiationem. Moyses populum usque ad Iordanem duxit, et lex genus humanum perduxit ad baptismum Ioannis.

Si nemo major erat inter natos a muliere, quam Ioannes, quia ante faciem ejus venit, quanto majores erunt illi, quorum pedes lavit, et in quos Spiritum suum insufflavit? Si Ioannes, qui eum baptizavit, magnus est, quanto magis ille, qui in sinu ejus quievit? In Iuda autem traditore, quem lavit, gradum et numerum Apostolorum honoravit. Quum Ioannes, qui eum baptizavit, omnibus natis major fuit, majores, quam ille, fuerunt Apostoli, quorum pedes Dominus lavit [1]. Ideo Iudae melius fuisset, si natus non esset, quia Dominum infestavit, qui eum Ioanne majorem fecit. Major est Ioannes natis, sed ipso major est ille minimus, qui in locum Iudae intravit. Sicut thronum Iudae haereditavit, ita et ejus lotionem. « Si ibi, ait, est filius pacis, secus ad vos revertetur [2] ».

Hac autem ratione dixit, Ioanne majorem inter natos mulierum non fuisse, ut patefieret, se de antecessoribus Ioannis et de antiquis in praecedentibus sermonem instituisse, scilicet de prophetis, praeconibus et praedicatoribus. Sed novissimos praecones, qui Spiritu baptizant, decuit esse majores eo qui aqua baptizavit. « Illum, ait, ~~oportet~~ crescere, me autem minui [3] ». Quemadmodum Dominus major erat, « non enim, ait, dat in mensura Filio suo [4] » et sicut Moyses omnes praecessit, ita et Apostoli omnes praecesserunt. Si enim Ioannes, qui viam ante faciem ejus praeparavit, magnus erat, quanto magis ii quibus Dominus noster ipse servivit et viam ante faciem eorum praeparavit?

1. Apostoli h. l. tamquam ex Deo nati considerantur.
2. Luc. 10, 6.
3. Ioan. 3, 30.
4. Ioan. 3, 34.

« Scitote, ait, quod et me prius, quam vos, oderunt [1] ». Quodcumque eos docuit in terra, hoc prius ipse perfecit. « Facient hoc et observabunt omnia, quae praecepi vobis [2] ». Si Ioannes, quia viam ante pacatum et humilem ejus adventum paravit, magnificatus est, quanto magis Apostoli magnificabuntur, qui ante magnum ejus adventum viam aperiebant et parabant ?

Attamen major est Ioannes, dicunt nonnulli, quia baptizavit eum. Si enim Prophetae desideraverunt eum videre, et si Apostolis data est beatitudo, eum videndi, quanto major est is qui eum baptizavit ? Veruntamen quicumque voluerit, haec verba intelliget ; dixit enim, quod prophetis major est, nam natos a muliere prophetas vocavit. Minimus autem, ait, novissimorum, qui regnum caelorum praedicant, major est eo [3]. Et haec magnitudo [4], quam Ioannes majorem accepit, quam prophetae, non erat opus suae libertatis, sed ejus qui eum magnificavit. Qui autem minimus est, si voluerit intrare in regnum coelorum, major erit eo. Quilibet, ait, juxta laborem suum mercedem recipiet [5]. Apostoli quidem et prophetae per electionem in rebus eis necessariis magni sunt, ita tamen, ut labor proprius manifestus fiat et electio non occultetur [6] et hoc modo proclametur et innotescat, quod hic, ut ait, laboravit plus quam alter [7]. Et haec est magnitudo Ioannis, etsi alii dentur, qui munere eum antecesserunt.

Quoniam hominum opinio eo vergebat, ut puta-

1. Ioan. 15, 18.
2. C. Math. 28, 20.
3. In cod. B h. l. additum est : « Rursus, magnus est Ioannes per baptisma, sed minimus in electione ad Apostolatum major est eo ». Sed haec verba per signum in margine dubia declarantur.
4. In sequentibus electio et labor hominis proprius inter se comparantur et docetur, per electionem majora quidem dona hominibus praestari, non autem excludi retributionem, sed potius stabiliri.
5. Rom. 2, 6.
6. In cod. B : « Ut manifestum fiat illud, quod laboravit multum, et hoc non occultetur.
7. I Cor. 15, 10.

rent, ne in regno quidem coelorum Ioanne esse majorem, ideo rem hoc loco Scripturae eis explicavit, nam si eum prioribus majorem praedicas, quia eum baptizavit, novissimis quoque major est. Et si magnitudine, quam in hoc mundo habet, in illo quoque magnus est, quare magnitudo Ioannis revelata est? An forsitan major est corona crucis [1]? sed in illo mundo, num in crucem ascendunt? Scrutare et inquire, ad quid magnitudo Ioannis, quam Dominus ei attribuit, revelata sit [2], et janua mentis tuae aperietur et intelliges, eum de relatione electionis ad libertatem loquutum esse. Quamvis Ioannes sit magnus, quia electus, tamen eo major est, qui plus eo laborat. Quo major est Ioannes antecessoribus, eo et major est sequentibus; sed eis sequentibus [3], qui per suam libertatem magni sunt, in quantum volunt, minor est. Non operibus suis Ioannes est minor, sed haec ad prophetiam aut ad regnum electio, quae in hoc mundo hominem magnum fecit, minor est, quam electio libertatis, quae eum magnum fecit in regno coelorum. Honor propria voluntate electi major est, quam ejus qui in regno aliena voluntate electus est. Ideo dicit: Amen dico vobis, quod nullus major est Ioanne inter natos mulierum. Non quod operibus suis [4] magnus est, quia illa regni coelorum magnitudo operum voluntarie factorum merces est.

Auditores suos anxios et pusillamines Dominus confortavit docens, eorum electionem ipsa magnitudine Ioannis esse majorem. Quamvis ceteroquin prudentes essent, tamen putarunt, juxta electionem suam in hac terra suam magnitudinem in altera vita mensurari, dixerunt enim: « Quis, putas, major erit in regno coelorum? ». Quam ob rem sustulit electionem, quam in

1. « Crux » pro novo testamento positum videtur. Ceterum hunc locum me non intelligere fateor.
2. Ad verbum: Ad quid sit magnitudo etc.
3. Hoc vocabulum in cod. B deest.
4. Opera h. l. intellige externa, baptismum Christi et alia, quae Ioannes per electionem accepit.

Ioanne suspicabantur, et substituit libertatem, dicens: « Qui se ipsum humiliavit [1] ». Et ut amplius electionem tolleret, Simon, etsi magnus electione et duo nactus nomina, Simonis nempe et Petri, alio discipulo opus habuit, cujus nomen nullo loco indicatum est, qui quievit in pectore Domini. Rursus illius discipuli beatitudo, quam magnam esse dixit [2], nonne et propter opera ejus magna erat? Et in parabola vineae: « Novissimi, ait, erunt primi »; num per opera sua [3], an per gratiam? Si hoc ita est, quando ostendebat gratiam suam, justitia ejus periit, si primi erunt novissimi.

## CAPUT X.

Et cum duo venissent [4], ut locum sibi eligerent, quo collegis suis praecederent, dixit eis Dominus: « Potestis vos bibere calicem, quem ego bibiturus sum », ut doceret, praecedentiae locum pretio vendi. Ideoque dicit: « Propterea et Deus exaltavit et glorificavit eum [5] »; nemo enim magis humiliatus est in sua natura, quam Christus, quia ex Divinitate erat. Postquam didicerunt, quod ille locus operibus venditur, hunc in modum pergit: Quum jam didicistis, hunc locum pretio vendi, perpendite, fieri posse, ut inveniantur, qui fortius vobis cucurrerint, vel cursuri sint, et judi-

1. Math. 18, 4.
2. Cf. Math. 16, 7: « Beatus es Simon etc. ».
3. Ad verbum: Per opera sua, aut gratiam. Deest et signum interrogationis in utroque codice, quod etiam in aliis interrogationibus excidit. Sensus esse videtur: Num novissimi per opera sua, an per gratiam primi erunt? Si dicis hoc, quod nimirum novissimi ex mera gratia erunt primi, conclamatum est de justitia, quae numquam concedere potest, ut novissimi sine omni merito primi fiant.
4. Haec verba in cod. A in rubro scripta sunt, quare in textu edito novum capitulum incipit, etsi in contextu orationis nulla interruptio adsit. In cod. B nullum signum distinctionis h. l. invenitur. Tenor hujus loci ad Math. 20, 20. spectat.
5. Philipp. 2, 9.

cio Patris perfectus est is qui ceteris omnibus in cursu suo praestat, atque huic iste locus paratus est. Quia venerant, ut per electionem sine operibus acciperent, Dominus eos a se repulit, prae se ferens, se non habere potestatem, ne eos contristaret, ut illud : « Hanc horam nemo scit [1] », ne ipsum de ea amplius interrogarent. « Non est, ait, vobis datum scire, horam et tempus [2] ». Quum autem ceteri Apostoli illis irascerentur, rem omnibus explicavit dicens : « Qui vult major esse vestrum, sit vester servus [3] ». Hac ratione omnes homines ad potestatem aditum habent.

Dominus igitur petitionem filiorum Zebedaei tanquam coronam in medio eorum posuit, qua is qui in certamine praecellit, coronaretur. Apostolus quoque in hoc fundamento aedificat dicens : « Scrutabitur corda vestra et tunc erit gloria cuique vestrum apud Deum [4] ». Etiam Balaam ad vaticinandum electus est, filii Heli ad sacerdotium et Ieroboam ad regnum. Ideo : « Et ego ipse, ait Apostolus, reprobus inveniar » [5], quod dixit, ut doceret, se omnem electionem fati superni [6] parvi ducere, magni autem facere libertatem. Cujus rei veritatem ut bene intelligas, docet amplius, quod si quis loquitur linguis angelorum, non habet electionem propriam, sed electionem Dei ; qui autem amat, habet electionem propriam. Quapropter charitas via est major et praestantior, quam ea quae non a proprio arbitrio pendet, nimirum, scire prophetiam et mysteria ac montes transferre. « Et si distribuero omnia, quae mea sunt, pauperibus [7], sicut Ananias et ejus uxor, quia id non ex amore fecerunt, « et si tradidero corpus meum », ut Iscariotes fecit, quibus docet, electiones, de quibus dictum est, sine charitate non prodesse, sed solam electionem libertatis. Ideo

1. Math. 24, 36.
2. Act. Ap. 1, 6.
3. Math. 23, 11.
4. I Cor. 4, 5.
5. I Cor. 9, 27. In utroque codice praecedens « ideo » ipsi loco Scripturae jungitur.
6. Ad verbum : « coactionis superorum ».
7. I Cor. 13, 3.

dicit : « Diliges Dominum Deum tuum, hoc est magnum mandatum [1] ». Et iterum dicit : « Si distribuero pauperibus », ut illa secta Pharisaeorum [2] ; « et si dedero corpus meum ad combustionem ignis », sicut illi quinquageni viri, quia non vera fide Eliam prophetam appellarunt dicentes : « Propheta Dei, rex dicit, descende [3] ». Ullularunt coram Deo unacum eo qui misit eos, et igni Domini corpora sua tradiderunt, ut suspirantes comburerentur, quia Dominus non erat in eis. Idem accidit domui Core, quia non ex zelo ministerii divini combusti sunt. Et diebus Sidrach et Misach et Abdenago multi desiderabant, in ignem mitti, ut eis fieret, sicut illis tribus factum est. Et in diebus Abrahami alii quoque cibo juvabant pauperes, si forte intrarent angeli et eis benedicerent.

Qui omnes probis hominibus similes se fecerunt, non ex amore bonorum, sed propter suum lucrum. Talis fuit Balaam, qui septem aras extruxit, et quia audierat, antiquorum preces propter sacrificium oblatum auditas fuisse, ideo et ipse sacrificium obtulit. Rex Moab opus Jephte imitatus est, sed quia unigenitus ejus erat, et hominem, non animal occiderat, Deus ejus misertus est, quamvis ex afflictione id fecit, et non ex charitate. Et si ipsi Jephte, unus ex suis servis occurrisset, statim eum occidisset, sed ut Deus praecaveret, ne homo hominem occideret, filiam ei obviam fecit, ut et alii timore percellerentur, ne hominem Deo vocerent. Quod autem ab Abrahamo factum est, illius temporis morem, offerendi filios suos, indicat, et hoc factum est, ut parentes, si filii voluntarie ab eis offeruntur [4] aut vita excedunt, non insaniant, sed potius gaudeant. Et ecce, postea multi erant Abrahami pro illo uno, qui filium suum in laetitia obtulit. Quapropter

1. Math. 22, 37.
2. Math. 6, 2.
3. IV Reg. 1, 11.
4. Ad verbum : « si sacrificare velint ». Patet, s. Ephraemum de votiva oblatione liberorum ad munus sacrum hoc loco loqui.

Deus multas aperuit portas [1], ut homines amici Dei fierent, sicut Abraham et alii multi amici Dei fuerunt. Aliorum opera si nos facimus, oportet, ut et nos simus, sicuti illi.

Et quod dicit: Neque hîc, neque illic dimittetur ei, quia Dominus peccata multorum gratis condonat et baptismus ejus poenam credentibus gratis dimittit [2]. Hujusmodi autem homini peccata in hac terra nec Dominus, nec suum baptisma dimittit, nec misericordia Dei, quae mala bonis operibus abscondit et in fine contegit. Dominus non dixit, quod tali blasphemo non redditur atque retribuitur, sed quod gratis ei non remittitur, id est, si omnia bona egerit et perfecerit omnia in justitia, tamen fieri non potest, ut ei remittatur gratis, sed retribuetur ei in gehenna. Attamen David dedit justitiam suam pro homicidio, quod fecerat. Confidentur dico, non dantur peccata, quae a poenitentia excludunt et excludent, nisi hoc blasphemiae peccatum, quia alia non impediunt, quominus homo per alia opera sanctificetur, ita ut, quum illud Dominus retribuit in gehenna, hoc retribuat in regno. Paulus non ita blasphemavit, ut non ampliss eum poeniteret, multi enim blasphemant et persequuntur, neque tamen hac ratione blasphemant.

Dicens autem: Erit reus peccatorum in aeternum, asseruit, quod peccata ei non dimittuntur. Vide explicationem ad haec verba adjunctam: « Sed reus

1. I. e. multas et varias obtulit occasiones. Cf. I Cor. 16, 9.

2. Sensus hujus loci esse videtur: Blasphemi, de quibus Dominus h. l. loquitur, numquam et nullo modo plenam et gratuitam remissionem peccatorum accipiunt, qualis per baptismum accipitur, et ab ipso Domino in terra data est, et qualis in fine electis dabitur, sed eis retribuetur in gehenna. David quidem, qui etiam graviter peccavit, potuit justitiam per poenitentiam recuperare. Similiter reliqui peccatores per poenitentiam possunt justificari. Soli isti blasphemi a poenitentia et ideo a remissione exclusi sunt. Dominus h. l. distinguit inter retributionem et remissionem; retributio sine remissione est istis blasphemis, remissio reliquis peccatoribus poenitentiam agentibus. Hi quasi argentum sunt, quod abstergitur et purificatur, illi argentum, quod justitia vindicativa igne comburit.

erit », quibus affirmat, quod iste homo reddet, quod debet, simulque negat, quod ei dimittetur. Dominus fecit distinctionem inter retributionem et remissionem, quamvis non clare id appareat [1]. Non enim dixit: « Erit peccator, aut impius, aut injustus », sed: « Reus et damnatus erit ». Argentum sine igne abstergere et purificare potes, sed ardere et ebullire facere sine igne non potes. Similiter est id quod dicitur: « Non remittetur ei, neque hîc, neque illic ». Aut de illo tempore, quo in terra ambulavit, id dixit, non autem de futuro. Viderunt eum carne indutum et multi hac ex causa de divinitate ejus dubitarunt, sed de Spiritu praejudicatae opiniones eis non erant. Propterea ait: Qui dicit verbum de Filio hominis [2], remittetur ei, qui vero id dicit de Spiritu sancto, non ei remittetur neque in hoc mundo, neque in illo. De duabus retributionibus haec verba explicari possunt, nimirum, quod homo hîc cruciabitur et illic conteretur. Non omnes transgressiones in hoc mundo retributionem habent, sed ex illis, qui blasphemant, et hîc vindicta exigetur et illic, ut de Iscariote, cujus viscera omnia diffusa sunt.

Vide, quomodo Petrus per iram suam monstravit [3], quod contra Spiritum sanctum peccavit. Sed super blasphematores illius temporis hoc peragebatur; in his autem diebus ex inscientia blasphemant. Omnes ergo nati possunt ad poenitentiam pervenire, quare ei qui non potest poenitentiam agere, melius erat, si natus non fuisset. Omnibus per poenitentiam est remissio, sive scienter sive inscienter peccaverunt. Non dixit Dominus: Non inveniet misericordiam et gratiam, sed « non dimittetur ». Forsitan si in hoc mundo debitam poenam ei retribuit, ibi invenit misericordiam. Ergo si non dimittit, judex manifestum facit, quantae sint transgressiones

1. Ad verbum: Fortasse macula non albescit, ut et Aucher vertit.

2. Ita vertit Aucher. Ipsa verba ita habentur: Quicumque dicet verbum (blasphemum), quod est verbum filii hominis.

3. Haud dubito, his verbis Ananiam cum Saphira designari.

transgredientis, si autem dimittit, misericors ostendit, quantae sint miserationes illius boni Dei, in quo habitat plenitudo. Ne putaveris Deum non dimittere, si poenitentiam agunt, tali enim blasphemia Satanas eos ad poenitentiam redire non permittit. « In inscientia, ait, feci hoc [1] ». Itaque de eis qui scientes peccare pergebant, dixit : « Eis non dimittetur ». Quod Iudas Iscariotes testatur, quia contritio et poenitentia cordis ejus non fuit accepta. Qui Christum daemonum socium fecerunt, cum daemonibus eis partem dedit, quia daemones nec in hoc, nec in altero mundo piaculum habent. Quia daemon dixit : « Sanctus Dei es tu [2] », illi autem dixerunt : « Immundus ille est in eo », hi consequenter magis merentur maledicta, quam ille daemon. In omnibus peccatis ex rei necessitate blasphemia inest, in illa autem blasphemia inest impudentia cum scientia, quia scierunt, Dominum de scientibus tullisse sententiam, eis non dimittendi. Ipsi enim Iudaei hanc tulerunt sententiam, non forsitan illum, qui eum non vocaverit daemoniacum, sed qui eum vocaverit Christum, foras ejiciendi et separandi, ut intelligas, absque necessitate esse hanc blasphemiam, ideoque haec blasphemia absque remissione est.

Adduxerunt ad eum virum quendam daemoniacum, surdum et mutum et coecum (Math. 12, 22), in quo imago populi erat depicta, sicut Isaias dixit : « Induratum est cor populi hujus, aures suas aggravavit et oculos suos clausit, ne videant oculis suis et ne audiant auribus suis », etc. [3]. Quod addit : Sanavit eum, et dedit ei auditum, loquelam et visum, imago eorum est, qui crediderunt in eum.

Hic si propheta esset, quomodo nesciret, in qua vivendi ratione ista mulier versetur, quia nempe peccatrix est? (Luc. 7, 39-50). Et tu, o Simon, si eam noveris, cur eam

1. I Tim. 1, 13.
2. Luc. 4, 34.
3. Is. 6, 9. et Math. 13, 15.

passus es ad convivium tuum intrare? Attamen tu ne ex hoc quidem cognovisti, Christum esse Deum, quod[1] absconditam ejus voluntatem, quae eam adducebat, impedire non potuisti. Duo debitores erant uni domino creditori, unus debebat quingentos denarios et alter quinquaginta, ut clare ostenderet, se ratione eis[2] conveniente peccata eorum aestimare. Dixit ad Simonem Pharisaeum: Intravi domum tuam et aquam non dedisti pedibus meis. Bene accidit, quod pedibus ejus aquam non dederit, ne impediretur, quominus lavarentur lacrymis peccatricis, quas justificatori suo praeparaverat. Non igni incaluit aqua, qua pedes ejus lavarentur, quia lacrymae peccatricis charitate ejus calefiebant. Quae Domino praestantiorem hanc lotionem fecit, quia dona ei dederat aemulatione digna[3]. Lotus est recumbens, et praemium lotionis suae dedit expiationem. Humana ejus natura lavabatur et recumbebat; divina autem mercedem retribuit. Sola humana ejus natura lavari poterat, sed sola divina natura peccata mulieris invisibilia purgando par erat. Illa ergo ei lavacrum fecit lacrymarum, et ipse ei dedit mercedem remissionis peccatorum. Illa lacrymis suis pulverem lavit pedum ejus, et ipse verbis suis cicatrices dealbavit corporis ejus. Illa eum lavit impuris suis lacrymis, et ipse eam lavit puris suis verbis. Abluit mulier pulverem Domini, qui vicissim abluit ejus iniquitatem. Pedes Domini loti sunt lacrymis et verba ejus dederunt remissionem peccatorum.

Osculum unum salutationis tu mihi non dedisti, illa vero, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos, et ideo ei dimissa sunt peccata sua multa, quia vehementer dilexit, quia is, cui parum dimittitur, parum diligit. Quibus verbis verita-

1. Ita in cod. B. In cod. A « et absconditam » etc.
2. Ita in cod. B. In cod. A « ei » vel « ipsi ».
3. Locus emendatus ex cod. B. In cod. A: « Qui ei dedit, ut aemularet dona ».

tem suorum membrorum testatus est. Quia vere ei erat corpus palpabile, illa corpus madefecit, siccavit et unxit. Plorent ergo poenitentes et peccatores doleant, ut forsitan per portam apertam ingressi ad eum pertingant. Et qui vitam amant, orent, quia apertio portae clausae evangelizata est eis qui in certamine suo non operati sunt et mercedem bonorum operum sibi non compararunt.

Lacrymae peccatricis descenderunt et laverunt locum, ubi quingenti illi denarii debitorum suorum scripti erant. Docuit eam indigentia, ut timorem deponeret, illum conspicata, qui non contemnit indigentes supplicantes, sed reprobat superbos fastidientes. Quapropter Dominus erga miseros vocem suam in misericordia elevavit et os suum ad remissionem erga indigentes aperuit, et qui ipsi honorem exhibuerunt, laudavit, curam gerens amoris, quem in ipsum habebant, eos autem, qui ipsum invitaverant, confudit, spreto amore, quem erga ipsum habebant. Fidem mulieris laudando in publicum produxit et cogitatus Pharisaei conquerendo patefecit et diffamavit. Factus est medicus credentium, quia ipse omnium sanator est, et factus est judex secretorum cogitatuum ejus qui eum ne manifesta quidem scire putarat.

Misit eos ~~binos~~ ad similitudinem suam, (Luc. 10, 1-18) i. e. sicut gratis sine mercede praedicavit, ita et ipsi faciant, ut dicit: Gratis accepistis, gratis date. Et « juxta suam similitudinem » dixit, i. e. ut praedicarent veritatem et facerent signa et mala paterentur juxta suam similitudinem, et ita ipsum quasi in imagine depingerent.

Qui quasi de coelo cecidit, in terra se voluit abscondere; quod vero ei non permisit aqua et sanguis, qui super eam ex latere Vivificatoris defluebant. Cum per aëra volaret, inde quoque expulsus est, Domino brachia in cruce extendente. Quum fugiens in arcem suam se conjiceret, ibi quoque ei illusit dicens : « Cadent a latere tuo mille et decem millia » etc. [1]. Et quum abiret

1. Psalm. 90, 7.

et in abyssum, refugii sui domum, se reciperet, eo quoque eum persecutus est, quando ibi vinctos solvit et inclusos eduxit. Quod ille suspicatus persuasit crucifigentibus, ut dicerent: « Descende, descende, ut videamus et credamus in te [1] », ut forsitan hoc modo quasi ventus ardens et pestilens in sua arce posset quiescere

Videbam ego Satanam, quod decidi. quasi fulmen de coelo, non ac si in coelo fuisset; hoc nequaquam significat, quod dicit: Supra stellas coelorum ponam thronum meum [2], sed a sua magnitudine et a suo principatu et dominio videbam, ait-Satanam de coelis cadentem quasi fulmen. Non cecidit, de coelis quia et fulmen, quod a nube gignitur, de caelo cadere non potest. Cur ergo dixit: De coelis cecidit veluti fulmen? Quia subito ictu oculi Satanas victoriosae cruci subjectus est. Postquam homines viles uncti sunt et legationem se mittentis acceperunt, et cum signis insolitis ad tollendos morbos et dolores et alia tristia mala emissi sunt, subjungitur, Satanam a principatu suo subito cecidisse, ut fulmen de nube. Sicut fulmen e loco suo egressum numquam revertitur, ita et Satanas cecidit et in suum principatum nunquam restituetur. Quia justitia serpentem ad calcaneum accurere permisit, misericordia calcaneum elevavit per crucem, ut recepta potestate serpentem superaret. Quod per sequentia declarat dicens: Et omnem virtutem inimici, quae per crucem contrita est. Porro dicit: Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, quia abstulit errorem, qui regnavit per serpentem, ut regnet veritas ejus qui dedit potestatem calcandi serpentes et scorpiones, i. e. reges eorum. Quia percussit ille calcaneum Evae, calcavit eum pes Mariae.

Gratias ago tibi, Pater (Math. 11, 25-30) coelestis (in Graeco dicit: Gratias ago tibi, Deus

1. Marc. 15, 32. Sensus est: Ut, si Christus haec verba crucifigentium audiens de cruce descenderet, Satanas in sua potestate manere posset.

2. Is. 14, 13.

Pater, Domine coeli et terrae), quia abscondisti haec a sapientibus et a prudentibus et revelasti parvulis. Quia sapientes fidem impugnant, nec simpliciter accipiunt, abscondita est ab eis. Nemo novit Patrem, nisi Filius. Nam quis novit mentem, nisi verbum ex ea procedens? Verbum est, quod omnem intellectum superat, et omnes motus cogitationum, quae excitantur, ipso inferiores reperiuntur[1]. Si per visum et auditum cognitio esset, necesse erat, ut quicunque semel Dominum vidisset, eum cognosceret. « Si eum, ait, cognovissent, forsitan in crucem eum non egissent[2] ». Et ipse dixit: « Pater dimitte illis, nesciunt enim[3] ». Immo et sol et luna et arbores[4] et saxa honorem ei deferre visa sunt, sed nullam ejus cognitionem habebant.

Filius igitur est cogitatus Patris. Qui novit arborem, gaudet et de fructu ejus, ideo dicit: Nemo novit Patrem, nisi Filius, ut utriusque cognitionem conjungeret. Voluit, et cognitus est Deus[5] ex sua voluntate et Filius ex operibus suis. Blasphematores Spiritus Sancti dicunt: Scriptum est: Nemo novit Patrem, nisi Filius, et nemo novit Filium, nisi Pater, ex quo asserunt elucere, quod Spiritus non noverit eum. Quod si ita esset, etiam ex illo loco, quo scriptum est: « Non novit hominem, nisi quod est in homine, ita et Deum nemo novit, nisi Spiritus Dei[6] » concludendum esset, a Filio quoque Deum non cognosci. Venite ad me, qui laboratis et onerati estis et qui habetis graves afflictiones, et ego reficiam vos. Quia verba consolationis in aures eorum stillavit, multi ad eum cucurrerunt, eumque sequuti sunt.

1. Locus ex cod. B emendatus. In cod. A nonnulla verba exciderunt.
2. I Cor. 2, 8.
3. Luc. 23, 34.
4. Confer, quae Math. 21, 19 de ficu verbo Domini subito arefacta narrantur.
5. Scilicet Pater, qui cognitus est ex voluntate sua, qua mundum creavit.
6. I Cor. 2, 11.

Verum ne discipuli doctrinam et institutionem ejus levi animo tractarent, dixit eis: Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus. Quis est ex vobis, qui volens turrim aedificare, non prius sedet et computat sumptus ejus etc. (Luc. 14, 26-30). Non verbis opus erat, ut discipuli ejus fierent, sed operibus, ideo angusta et difficilis est via[1], i. e. eis, qui carne ducuntur.

## CAPUT XI.

Generatio haec generatio mala est et adultera; signum quaerit et non dabitur ei signum, nisi signum Ionae prophetae; quia, sicut Ionas fuit in ventre piscis tres dies et tres noctes, ita oportet Filium hominis intrare in cor terrae tres dies et tres noctes (Math. 12, 39-45). Non de numero trium dierum Dominus disputare voluit, sed quia sanavit aegrotos eorum et suscitavit mortuos, ita locutus est. Et post haec inenarrabilia signa et testimonia, quae nulla scripta complecti possunt, obcaecati homines dixerunt: Volumus a te signum videre. Igitur regibus et prophetis, testibus suis, relictis, Ninivitas in medium proferre coepit, qui, quia signum a Iona non viderunt, in fine judicabunt eos qui post multa signa, quae viderant, auctorem signorum negarunt. Ionas Ninivitis interitum praedicavit, timorem et tremorem injecit, et in eis horrorem seminavit, qui ei manipulum animi contriti et fructum poenitentiae reddiderunt. Gentiles elegit Dominus et incircumcisos testes adduxit. Idolorum cultores vitam acceperunt et peccatores conversi sunt, ut circumcisi confunderentur. Hi ergo sunt, qui judicabunt eos qui pertinaciter non crediderunt.

1. Cf. Math. 7, 14.

Signum non dabitur eis, nisi signum Ionae prophetae. Signum enim Ionae dupliciter Ninivitis praeco et monitor erat. Si contemnent verbum Ionae, viventes in infernum, ut ille in ventrem piscis descendent; si autem poenitentiam agent, de morte reviviscent, ut et propheta revixit. Similiter Dominus in ruinam et in resurrectionem est; homines enim per mortem ejus aut vivunt, aut moriuntur. « Viri, ait, Ninivitae », quibus verbis et ad aliud animum eorum convertit. Qui enim signum de coelis quaerebant, sicut tonitru Samuelis [1], his respondit: De inferis egressura est praedicatio, quam vos vultis audire de excelsis. Quia signa de excelsis audientes non crediderunt, ideo de profundis praedicatio coepit, ut et Ionas de profundis exiit. Et sicut Ionas post egressum Ninivitis signum malorum fuit, quum urbi eorum interitum praedicaret, ita et Apostoli post resurrectionem Domini.

Ita erit Filius hominis in corde terrae. His verbis in antecessum eis ostendit, quod ipsum invitum occidere non possent, quia jam ante mille annos mysterium mortis ejus in Iona praesignatum erat. Ubi Abel occisus est, ibi forsitan os erat terrae. « Terra, ait, aperuit os suum et bibit sanguinem fratris tui »; et ubi sepultus est Dominus, ibi forsitan erat cor terrae: « Erit filius hominis in corde terrae », sicut Ionas in ventre piscis. Aut sicut Ionas in ventre piscis non est laesus et corruptus, ita nec Dominus in sepulchro, quemadmodum dictum est: « Non dimisit animam meam in sepulchro et non dedit sancto suo videre corruptionem [2] ». Ut Ionas e mari egressus prædicavit Ninivitis, et ii conversi in vita servati sunt, ita et Dominus corpore suo e sepulchro vivificato suos discipulos in medias gentes misit, et conversae perfecte et plene vixerunt. Tres itaque dies descensus et ascensus mortem amborum [3] indicarunt.

1. I Sam. 12, 18.
2. Psalm. 15, 10.
3. Sensus probabiliter hic est: Triduum inter descensum Ionae in ventrem piscis et ascensum ejus interpositum significat mortem Domini corporalem et mortem spiritualem gentium.

Et regina austri judicabit eam, quae est typus ecclesiae. Sicut enim illa venit ad Salomonem, ita et ecclesia ad Dominum, et sicut illa judicabit populum, ita et ecclesia. Si enim ea quae transitoriam sapientiam regis mortalis videre desideravit, judicat populum, quanto magis ecclesia, quae regem, qui non pertransit, et sapientiam ejus, quam nulla oblivio delet, videre cupivit. « Si patimur cum eo, et glorificabimur cum eo [1] ».

Sed ille impurus, si exierit de homine. Quare hoc dixit ad eos? Quia signum ex eo quaerebant, hoc exemplum eis proposuit, quasi dicens: Quid vobis prodest, si ad tempus sanemini, si non credideritis? Si enim post sanationem ad dubitationem redibitis, deterius priori malo vobis accidet. Iuxta imaginem eis propositam prosequitur: Vadit ille impurus, sumit alios septem socios suos, qui sunt ipso nequiores et veniunt et habitant in eo et erunt hominis istius novissima pejora, quam priora; ita erit et generationi huic. Simile est, quod Mariam Magdalenam sanavit, ex qua septem daemones eum ejecisse scriptum est. Quam rem coram eis perfecit, ut verba, quae eis dixerat, quasi in exemplo viderent. In eodem enim loco Evangelista dicit, mulieres ad eum venisse, quae a suis doloribus et ab illis immundis spiritibus sanatae sunt. Ait enim: Maria Magdalena, ex qua septem daemones ejecerat, et Ioanna, uxor Cusae, tribuni Herodis, et Susanna [2] etc. Et erunt pejora novissima hominis illius, quam priora, quia Christus non altera vice in corpore veniet, ut diros dolores gratis per fidem auferret.

Sed ille immundus si exierit de homine. Dominus comparat Israël cum phrenetico, qui a spiritu possessus est (« invenit, ait, Israël » etc. [3]), se

1. Rom. 8, 17.
2. Luc. 8, 2.
3. Deut. 32, 10.

ipsum autem medico. Quia iste medicus hunc populum sua praedicatione illuminavit et per signa et miracula verba prophetarum implevit, sicut dixit : « Si mihi non creditis, operibus meis credatis [1] », et quia misericordiam suam in eos effudit, statim idololatria ex eis expulsa est, eorum gentilismus fugit et in medios populos gentilium abiit. Et quum hic populus ad tempus aliquod a suo morbo erroris sanatus et idololatria ejus a facie radiorum Vivificatoris foras missa esset, quia miraculis ejus coactus, non autem ex sua voluntate idololatriam suam deposuit et contempsit, post ascensionem ejus, quum voluntarie et sua sponte ad virtutem se convertere deberet, ad priores mores rediit ; quare dixit : « Septem socios suos », et : « Erunt novissima hominis pejora prioribus », quia exinde plenus error apud eos manet.

Porro dici potest, diabolum Israelem ad instar illius hominis possedisse et possidere. Quando in Aegypto Israelitae habitabant, et potestati Pharaonis subditi erant, ille immundus apud eos erat. Et quum Deus eis salvatorem misisset, qui eos educeret, ille immundus aufugit et sanati sunt. « Misit verbum suum, et sanavit et liberavit eos a perditione [2] ». Traduxit eos per mare, ut santificarentur, et noluerunt ; et traduxit eos per flammam ignis et non sunt purgati, ut et Apostolus testatus est [3]. Ille igitur immundus ex eis expulsus transivit per loca arida i. e. per gentes, ut inveniret requiem, sed non invenit, quia et gentes audierunt vocem effati divini : « Qui unquam sitiebatis aquam etc. [4] », et : « Gentes in eum sperabunt [5] », et : « Dedite in desiderium populi et in spem gentium [6] ». Et quia desertum gentium in stagna aquarum factum erat [7],

1. Ioan. 10, 38.
2. Psalm. 106, 20.
3. Cf. I Cor. 10, 1.
4. Is. 55, 1.
5. Is. 11, 10 ; ad Rom. 15, 13.
6. Cf. Is. 49, 6.
7. Is. 41, 18.

quaesivit et invenit sibi requiem in ~~populo Israel, et~~ ideo: « Revertar, inquit, in domum meam priorem cum septem sociis meis », et ingressus habitavit in hoc populo ad numerum dierum hebdomadis[1] et totum cultum religionis eorum abstulit.

Porro isti septem, qui in eo habitaverunt, illi sunt, de quibus Ieremias dixit: « Concepit et peperit septem [2]». Inflatus est venter ejus, peperit unum vitulum in deserto, duos vitulos Ieroboami et simulacrum quatuor facierum Manassis. Et quod dicit: occidit sol (Marc. 1, 32), quia Israel habitabat in tenebris, lucente luna prophetiae. « Nox, ait, erit vobis in videndo et obscurum erit vobis in matutino [3]». Quod vadens denuo circuit, quando e homine egreditur, hoc fit naturae ejus convenienter. Dominus sententiam super hunc populum tulit dicens: Ita erit huic generationi, i. e. diebus prophetarum ex eis egressus est ille immundus; ille enim est peccatum [4]. Deus enim parvam partem [5] de medio eorum sumens Babylone collocavit, et prophetae contestati sunt, quod abstulerit ab eis peccata, quia dicit Scriptura: « Puer centum annorum morietur et centum annos agens qui peccat, maledictus erit [6]. Iterum eos reprobavit diebus Domini, inveniens eos plenos invidia contra Servatorem suum. Propterea mala eorum majora facta sunt, quam prius, quia caedes prophetarum consummarunt et Christum in crucem egerunt; quare tamquam vas inutile contriti et rejecti sunt.

Beatus erit[7] venter, qui te portavit. Marcion dicit: His verbis solummodo tentarunt, num vere natus esset. Et eo quod dicitur: « Ecce mater tua et fratres tui quaerunt te [8]», idem significatur. Quin-

1. I. e. Habitat in eo cum septem sociis, quos juxta numerum dierum hebdomadis assumpsit.
2. Ier. 15, 9.
3. Cf. Mich. 3, 6.
4. Ad verbum: Quia hic est peccatum.
5. Ad verbum: Modium.
6. Is. 65, 20.
7. « Erit » deest in cod. B.
8. Marc. 3, 32.

immo et corpus suum dedit eis ad manducandum. Cur? Ut magnitudinem suam absconderet et opinionem eis inderet, se esse corporalem, quia eum nondum poterant intelligere [1]. At cur negavit nativitatem suam? Si enim eam negando monstrare voluisset, se non esse natum, alia vice se non fecisset fratrem discipulorum, qui nati sunt. Si ex eo quod hic negaverit, consequeretur, eum non esse natum, tamen propter id quod ibi dixit, quum fratrem se faceret discipulorum, credere oportet, eum esse natum. Si enim ex matre originem negans naturae aequalitatem oblitus esset, tamen per confessionem fratrum communis ex patre origo manifesta facta est. Quod si matrem et fratres non confitens ostenderet, parentes sibi non esse, si hoc ita se haberet, memento, quod et dixit: « Nemo est bonus, nisi unus », et ipse et Spiritus sanctus et angeli electi nonne boni sunt? Sicut illi dixit: Cur me bonum vocas [2], eodem modo et in isto loco dixit: Cur me vocas conceptum et natum?

Beatus venter, qui te portavit. Hanc laudationem sumpsit de matre sua et dedit discipulis suis; in Maria enim per aliquod tempus, in discipulis autem in aeternum fuit [3]. Dixit enim: Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

Qui habet aures audiendi, audiat. Profecto, qui habebat aures, audiebat, quia haec vox propter misericordiam ejus in omnes aures penetravit. Sed singulae aures propter audientium libertatem ex hac voce ad ea quae volunt, attendunt. Et dantur nonnulli, qui ad ea

1. Hoc loco sequens adnotatio textui impresso subjuncta est: « In hoc loco Marcionis verba sunt, ut et scriptor codicis ad marginem manuscripti dicit: Haec omnia Marcionem dixisse, bene intellige. Post haec iterum verba Ephraemi veniunt ut in manuscripto indicatur per literas » Eph., « et ad marginem per verba: S. Pater disputationem incipit, quod bene scias ».

2. Marc. 10, 18.

3. Sensus est: Mariae beatitudo, Dominum in utero habendi, ad tempus erat; consuetudo autem discipulorum cum Domino aeterna est. Mariam ex numero discipulorum Domini a s. Patre non excludi, per se patet.

attendunt, sed per haec id quod ab eorum industria exquiritur, non faciunt. Abscondit carni, quod oculis videre difficile erat; id autem, quod cogitatione facile videbatur, aperte ostendit. Oculis eum [1] videre difficile erat, sed ejus doctrina facile audiebatur. Nec propterea, quod divinitatem ejus non viderunt, puniti sunt, sed quod verba divinitatis ejus non receperunt. Dantur igitur verba, quae in auribus seminantur, sed radices eorum infertiles sunt, et dantur alia, quae radices cum fructibus proferunt. Ceciderunt tres sementes in tres auditus, et fructum non fecerunt. Ecce exiit, qui seminavit, seminare semen; et dum seminaret, aliud cecidit in petrosa et aliud cecidit inter spinas et aliud cecidit in terram bonam. Quamvis seminans unus et terra radices proferens una esset, tamen quatuor partes apparuerunt et una illa ultima in bonam et in pinguem distincta. Quum terra sua natura et efficacitate una esset, et semen sanctum ex sanctis manibus acciperet, cur tres partes apparuerunt, cum semen crevisset, et cur fructus trigesimus et sexagesimus [2], et cur ei qui habet, dabatur? Porro cur seminavit prope viam, ubi semen conculcatum aves collegerunt, et cur in terram petrosam seminans semen suum seminavit? Seminans unus erat et semen suum aequaliter absque simulatione seminavit; ast quaelibet terra secundum suam proprietatem semen in fructibus suis ostendit. His igitur verbis Dominus clare docuit, evangelium suum nullum hominem liberum vi cogere, ut justus fiat, et aures quoque steriles semente sanctorum suorum verborum non privari.

Quod cecidit prope viam, simile est animabus, quae semen injuste tollunt, ut ille, qui unum talentum accepit et bonum ejus datorem despexit. Et quia haec terra sementem ejus accipere noluit, omnes mali transeuntes eam conculcarunt; quare in ea ma-

1. Scilicet, qua Deum, ut ex sequentibus intelligitur.
2. In cod. B « sexagesimus et centesimus ».

gistro et doctori locus non erat, ut quasi agricola accederet, durum ejus solum exararet et nova semina in eam spargeret. Diabolum[1] autem volucribus comparavit, quia semen rapuit. Quo loco etiam indicat, diabolum non vi doctrinam homini datam ex corde auferre; nam juxta imaginem, qua usus est, vox evangelii ad portam tantum aurium adstitit, quemadmodum et granum frumenti mansit in superficie terrae, quae semina in ipsam missa in sinum suum non recepit; non enim concessum est volucribus, ad semen penetrare, quod terra unquam alis suis contegit. Et id, ait, quod super petrosa erat, quo Bonus misericordiam et gratiam suam ostendit, quia, licet dura haec terra fructus non ferret, tamen semen ab ea non prohibuit. Quae terra illi sunt, qui a doctrina ejus recesserunt, sicut dictum est: « Durum est verbum tuum, quis potest id audire?[2] ». Ita et Iudas verbum Domini audivit et per miracula sua floruit, sed in tempore tentationis sine fructu inventus est.

Terra autem spinis consita, quum semen acciperet, vires suas spinis tantum et tribulis dedit; quo iterum magister charitatem suam ostendit, quia promptus semen suum in terram mittebat, quae alienum laborem vincebat[3]. Quamvis in ista terra spinae praevalerent, tamen, ut sine excusatione esset, etiam in ea suum semen abundanter sparsit. Dives quidam venit gaudens ad Dominum et dixit: « Haec omnia feci a juventute mea[4] ». Tum Dominus, ut eum ad sanctitatem perduceret, merum semen ei dedit dicens: « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes. Qui cum videret, perfectum semen advenisse, ut ab omnibus spinis ipsum suffocantibus liberaretur, tristis inventus est propter suas divitias, quae illae spinae erant eum suffocantes.

Terra autem bona et opima animae sunt,

1. Ad verbum: Malum.
2. Ioan. 6, 61.
3. Id est: Culturam Christi non admisit, et solum suas spinas nutrivit.
4. Math. 19, 20. 21.

quae veritatem operantur et eos imitantur, qui vocati relictis omnibus sequuti sunt eum [1]. Trigesimus vero et sexagesimus et centesimus fructus dicitur de cursu vitae in pueritia, juventute et senectute. Etsi terra una sit et semen unum, tamen Dominus hoc modo juxta longitudinem temporis etiam numerum diversum computat, quum fructibus quoque unus alteri praestet. Sed bonus Deus clementiam suam ostendit, quia, quando ad mercedem accipiendam venerunt, novissimi cum primis aequalem mercedem acceperunt.

Porro terra bona et opima fuit, quia, quamvis una esset bona voluntas, quae cum gaudio semina bonorum suscepit, tamen diverso modo trigesimum, sexagesimum aut centesimum fructum fecit. Quibus verbis docet, omnes partes terrae juxta suam potentiam suum fructum edere et juxta virtutem suam in gaudio incrementa capere, sicut illi, qui quinque talenta acceperunt, et decem lucrati sunt, quivis secundum propriam virtutem. Nam qui fructum centesimum affert, perfectam electionem habere videtur, quia baptismum mortis in testimonium Dei accepit. Sexagesimum autem fructum afferunt, qui vocati corpus suum tormentis et doloribus pro Deo suo tradiderunt, ad mortem autem pro Domino suo non pervenerunt, verumtamen usque ad finem vitae boni permanserunt. Trigesima autem pars est fructus quotidianus bonae terrae, quae hi sunt, qui ad religionem Christi electi sunt et nullo persecutionis tempore eis superveniente per bonam suam conversationem coronati sunt, ut terra coronatur fructibus suis, quin tamen ad electionem martyrii et confessionis sint vocati. Et quod dicit: Ipse nescit, quod terra ex se ipsa fert fructum, non ac si ignoraret, quod plantavit, sed quia in hoc suo opere non defatigatur.

Domine, nonne tu semen sementis sancti seminasti in agro tuo, unde ergo ziza-

1. Math. 19, 27.

nia? Et respondit eis, hoc opus esse inimici, non autem opus suum. Si quis ex nobis est, et inter zizania vult plantari [1] interrogamus eum: Si Beneficus ex suo semine seminavit in ea parte, quae ab ipso est, si hoc ita est, dicat nobis, quare una pars hujus seminis ab eo seminata et altera pars sit seminanda? Si autem in parte diaboli seminavit, si hoc ita est, seminavit Beneficus in medio zizaniorum aut ad diabolum pertinet manipulus [2].

Rursus simile est regnum grano sinapis [3], quod est minimum omnium sementum. Hoc de parvo initio praedicationis dixit, ut illud: « Ne timeas, pusillus grex [4] ». Et si germinaverit, crescit et fit arbor et fit majus omnibus oleribus, quia regnavit Evangelium ejus usque ad fines terrae. « In omnem terram, ait, exiit sonus annunciationis eorum [5] ». Et veniunt volucres coeli et habitant in ramis ejus, gentes defatigatae quiescunt in fide. « Venite, ait, ad me omnes defatigati [6] ». Si Dominus ex Virgine non natus et ex Virgine non ortus et si non passus esset, animam ejus comparare possent cum volucri, quae de caelo venit et

1. Sensus est: Si quis a nobis ad haereticos transiturus est.

2. Sensus esse videtur: Si Deus bonus unum idemque semen suum, sc. triticum, in agro suo seminavit, quare unam partem seminis prius, et alteram postea seminavit, i. e. cur doctrinam veterem et apostolicam primo in mundum misit, et postea aliam, scilicet eam quam haeretici veram habent? Nonne unum semen unam seminationem prodit? Id ergo quod haeretici postea surrexerunt, indicat, eos non esse ex illa una seminatione Patris. Si autem non concedunt, doctrinas novas a Deo in ea parte, in qua ipse seminavit, seminatas esse, consequenter affirmare debent, eas a Deo in ea parte seminatas esse, quae diaboli est, scilicet inter zizania, aut concedere debent, hunc manipulum novarum doctrinarum non ex Dei, sed ex diaboli seminatione exortum esse. In textu edito lin. 18 pro ասՀմանեաց « definivit », etsi uterque codex id habeat, legendum est: սերմանեաց « seminavit », ut jam Aucher monuit et contextus postulat.

3. Haec vox in cod. A deest.

4. Luc. 12, 32.

5. Psal. 18, 4 et ad Rom. 10, 16.

6. Math. 11, 28.

dicere, corpus quoque ejus cum ea inde venisse. Attamen Dominus, ut clarum et certum faceret, se corpus assumpsisse, animam suam [1] cum grano comparavit, quod seminatum est in terra et et ex terra sibi corpus sumpsit, in quo volucris quievit. Testatur enim Ioannes Baptista: « Ego vidi Spiritum in similitudine corporis columbae, quae descendit et requievit in eo [2] ».

Iterum comparavit ~~regnum coelorum~~ fermento, quod immiscetur farinae, quia fermentum efficit, ut farina in abscondito in jeus similitudinem transeat. Fermentum enim non violenter massam arripit, sed abscondita sua virtute eam totam ad se trahit; ita et Evangelium Christi. Fermentum in massa corpus quoque Domini est in massa generis Adam.

Rursus dicit: Simile est sagenae missae in mare, et ex omni genere colligenti. Quum dicit « ex omni genere », intellige, ex omnibus linguis. Sed post hanc electionem piscium ex mari, i. e. ex ~~ista~~ terra, alia insuper electio restat, quae terribilis est et tremenda. Et ad sagenam eductam accedunt, ut ~~bonum~~ ad bonum colligant, et malum foras projiciant. Pisces, qui in sagenam ejus intrarunt, sunt homines in fide ejus. « Boni » sunt illi, qui in Evangelio ejus coeperunt et perseverarunt, « mali », autem, quos ecclesia propter infidelitatem e medio expulit et rejecit.

Ideo [3] venit in civitatem suam et docuit eos [4] in synagogis eorum [5] (Math. 13, 54).

Nonne dabatur et alius populus, aut alia terra, quam Iudaeorum? Sed ~~hoc~~ scriptum est, ut Marcioni-

1. Verba « animam suam » possunt et verti « se ipsum »; sed h. l. accipienda sunt ut in praecedenti sententia. Sensus est: Quemadmodum granum sinapis, in terra seminatum, radices agit et stirpem efformat et arbor fit, in qua volucris quiescit; ita et anima Christi ex corpore Virginis assumpsit corpus, super quo in baptismo Spiritus sanctus quievit.
2. Ioa. 1, 32.
3. " Ideo „ in utroque codice ad citatum refertur.
4. " eos „ deest in cod. B
5. Ad verbum: In concionibus eorum.

stae mendacii arguerentur et reprehenderentur [1]. Post haec, ait, intravit juxta morem suum in synagogas eorum die sabbati (Luc. 4, 16). Et [2] quaenam erat consuetudo ei qui tum advenit? Nam modo in Galilaeam venerat. Nec coeperat docere extra synagogam, sed in synagoga. Ex cultu enim eorum probatur, quod de Deo eorum ad eos loquutus est; secus enim extra synagogas eum praedicare oportuit. Ingressus est in Bethsaida ad Iudaeos et nihil aliud in medium protulit, quod ad ipsum dixerunt, nisi hoc unum: Medice cura te ipsum. Et assumpserunt eum et foras duxerunt ad praecipitium montis. Non est verosimile, quod hoc verbum Christi ad iram eos excitavit [3]. At si de creatore ad eos loquutus esset, et ideo ei hoc responsum dedissent et eduxissent eum, ut eum detruderent, cur alio in loco Evangelista talia non indicat? Quod autem cives eum oderant, testatur, quod dicit: Non est propheta acceptus in patria.

Non recepit Anathot Ieremiam, non Thesbi Eliam, non Abemahul Elisaeum, non Rama Samuelem, nec populus recepit Moysen, nec Israël Dominum. Quapropter Elias sprevit mulieres eorum [4], et Elisaeus

1. Nimirum his verbis docetur Christum patriam habere et verum esse hominem. Versio textum cod. B sequitur.

2. Hic Marcionis verba incipiunt, qui hoc loco repugnantiam in Scriptura inveniebat. Responsio s. Ephraemi incipit verbis: At si de creatore.

3. Sensus praecedentium hic esse videtur: Marcion affirmavit, iram Iudaeorum, de qua Luc. 4, 16, sermo est, explicari non posse, nisi concedatur, Christum ad Iudaeos loquutum esse de creatore mundi, qui Deus Iudaeorum fuit et a Deo supremo diversus. Haec doctrina et nihil aliud, quod tum dictum et factum est, Iudaeos ad iram excitavit. Cui assertioni Marcionis s. Ephraemus in sequentibus haec respondet: Si doctrina de sic dicto cosmocratore Iudaeos tum ad iram excitavit, cur aliis occasionibus, quando haec docuit, idem evenisse non legimus? Post haec s. Pater hanc iram Iudaeorum ex odio explicat, quo cives Christum persequebantur juxta verbum prophetae: Non est acceptus propheta in patria. Permutatio ergo urbis Nazareth cum Bethsaïda non s. Ephraemo, sed Marcioni attribuenda est. In sequentibus enim recte Nazareth ponitur.

4. Id est: Elias non mulieribus Iudaeorum, sed viduae in

viros eorum. Itaque Christus Iudaeos ad ipsorum confusionem infideles vocavit et Assyrios honoravit magis, quam illos; quare ira impleti sunt. Sed hoc nihil aliud quam praetextus fuit. Medice, dicunt, cura te ipsum i. e. salva te ipsum a nobis, antequam tu nos vis sanare. Quamvis sanatione indigerent, tamen propter eorum incredulitatem eos sanare non potuit. Propter suam libertatem eum dejecerunt, propter divinitatem suam non cecidit. Quum libertas eum vellet detrudere, aër se submittens alis suis eum suscepit. Non cecidit, ut forte hoc modo incredulos fidem doceret. Forsitan ideo dicit: Susceperunt eum Galilaei. Quia viderunt, quod in medio eorum fecit, nemo aliquid contra eum facere ausus est. Quoniam haec prima sanatio erat, dextra ejus infirmata est [1], nam hac de causa habitatores urbis Nazareth zelo in eum concitati sunt, operante principe manus sinistrae, qui sanationi invidebat illius dextrae, quae in mysteriis solemnibus imposita vel remota est, prout divinitas in diversis indigentiis eam adhibuit.

Propheta in patria sua i. e. in populo suo, non est acceptus. Elias ex urbe Thesbi erat, et non dictum est, urbi Thesbi, sed universo Israël eum non fuisse acceptum. Qui hoc negant, nobis ostendant, quando Thesbitae eum persecuti sint et Israëlitae eum receperint. Quis enim, teste Scriptura, eum recepit? Solummodo vidua in Sarepta gentilium. Multae viduae erant, non in urbe Thesbi, sed in domo Israël, et ad unam ex eis non est missus. Similiter non dictum est: Leprosi in oppido Elisaei, sed in domo Israël. Hac itaque ratione confirmavit, quod non in Nazareth, sed in domo Israël virtutem aliquam facere non poterat.

Nazaraei autem videntes, eum in ipsis totam terram Israël spernere, gentes autem immoderate honorare, insurrexerunt contra eum et apprehendentes e-

Sarepta, et Elisaeus non viris Iudaeis, sed Naamano Syro auxilium praestiterunt.

1. Scilicet infidelitate Iudaeorum.

duxerunt et detruserunt eum. Zelo enim erga posteros Abrahame inflammati erant, dicentes: Deus hos prae omnibus gentibus honoravit. Quum igitur Dominus in Nazareth loqueretur, duo exempla [1] proposuit, quae discrimen inter populum et gentes ostendunt. Similiter per templum, de quo loquebatur, aliud templum ostendit, nimirum corpus suum, et per agros messem hominum monstravit in Samaria. Totus enim populus prophetae, de quo Christus dixit, cognatus et natio ejus fraterna fuit [2].

Honoravit Centurionem et de eo admiratus est, honoravit Syrophoenissam et de ea obstupuit. Centurionem honoravit ut Naaman, et Syrophoenissam ut viduam Sareptae. Elias fugit ad gentes, sed Dominus prohibuit, ne sui discipuli gentes salutarent. Et Syrophoenissam Dominus severe excepit, quo ostendit et docuit, sanationem postea ad gentes perventuram esse. Porro permisit, ut ipsum praecipitarent, quia Satanas existimavit, Dominum ex timore de pinnaculo templi se non misisse deorsum. Quum autem Dominus detrusus non cecidisset, Satanas de suo principatu cecidit. Similiter lapidem non fecit panem, ne desiderium faceret peccatoris. Similia enim in deserto fecit in pane, et Canae in Galilaea in vino.

Jube afferri caput Ioannis Baptistae (Math. 14,8). O Herodes, quid facis? Ne des caput justum costae [3] peccatrici. Sed qui Adamum vicit per costam, quacum conjugio copulatus erat, vicit et Herodem per costam conjugio ei copulatam. Ecce caput, quod sicut lucerna super discum positum erat, in omnes genera-

1. Nimirum in Nazarenis exemplum Iudaeorum, quibus propheta non erat acceptus, et in vidua Sareptae et in Naaman ostendit exemplum gentilium, qui prophetam exceperunt. In Nazarenis ergo Dominus simul significavit Iudaeos et in vidua Sareptae et in Naaman gentiles, sicut in templo (Ioan. 2, 19) corpus suum, et in agris albis messem hominum (Ioan. 4, 35).

2. Haec verba cum praecedentibus ita cohaerent: In Nazarenis Christus exemplum Iudaeorum proposuit, quia non solum Nazareni, sed omnes Iudaei prophetae in patria non accepto conterranei erant.

3. i. e. mulieri.

tiones lucet et adulterium arguit homicidarum. Os istud obmutescere fecerunt, ne amplius loqueretur, ast praedicatio silentii ejus vehementius fervet, quam vocis. Et dicunt, saltante filia Herodiadis Herodem et Herodiadem insidias excogitasse, ut illa juraret et hic postularet.

## CAPUT XII.

Dominus in deserto panes multiplicavit et Canae aquam in vinum convertit. Pane et vino suo os eorum assuefecit et exercuit, donec tempus veniret, quo sanguinem et corpus suum eis daret gustandum. Fruitione transitorii panis et vini eos cibavit, ut ad fruitionem vivifici sui corporis et sanguinis eos perduceret. Res parvulas dedit eis sine pretio, ut cognoscerent, dona gratiae ejus multo magis gratis dari. Quod pretio ab eo emere poterant, gratis eis dedit, quin immo etiam id quod ab eo pretio emere volebant, pretio eis non dedit, ut scirent, eum pretium ab ipsis non exigere. Quum pretium panis et vini, quod dare poterant, dare non deberent, pretium corporis et sanguinis ne dare quidem poterant. Sed non solum gratis nobis dedit, sed et quibusdam dolis nos circumvenit. Tales enim res parvulas gratis nobis dedit, quibus nos excitaret, ut eamus et id quod praestantius est, sine ullo pretio accipiamus. Illa minuta panis et vini, quae dedit, palato dulcia erant, sed donum corporis et sanguinis mentibus utile erat. Per id quod palato dulce est, nos excitavit, ut ad id quod animas vivificat, nos perduceret. Propterea vino, quod fecit, dulcedinem immiscuit, ut ostenderet, quanti thesauri in vivifico suo sanguine laterent.

Initio suorum miraculorum convivis fecit vinum, quod laetificat, ut indicaret, sanguinem suum omnes generationes gentium esse laetificaturum. Omnia quae dantur gaudia cum vino conjuncta sunt, et omnis quae

datur salvatio mysterio sanguinis ejus copulata est. Vinum dulce, quod corda mutat, dedit, ut ostenderet, doctrinam corda mutantem eos esse inebriaturam. Quod ante erat aqua, in amphoris mutavit in vinum, et antiquum mandatum mutavit in perfectionem. Aquas perduxit ad praestantiam et legem ad perfectionem. Eandem illam aquam convivae biberunt, sed non qua aquam eam biberunt. Quamvis legem priorem audiamus, tamen ut in fine eam gustamus. Post haec alapam cum alapa permutavit [1], nimirum, si id quod perfectum est, facimus, ut dixit: « Si quis te percusserit in maxillam, praebe ei et alteram ».

Sed considera vim ejus creatricem omnia penetrantem. Dominus paululum panis sumpsit et in ictu oculi multiplicavit. Quod homines per decem menses operoso labore faciunt et convertunt, decem ejus digiti subito fecerunt. Supposuit panibus manum quasi terram et super eos quasi tonitru loquutus est. Motum labiorum suorum ut imbrem super eos sparsit, et exhalatio fervescens oris ejus solis vices explevit et in puncto temporis [2] perfecit et consummavit, quod longo tempore unusquisque facit. Panis ergo, paucitatis suae oblitus, ex media sua paucitate multitudinem progenuit, ut ei aequalis fieret, qui primus benedixit et dixit: « Crescite et multiplicamini et implete terram ». Nam panes isti azymi quasi feminae steriles et filiis orbae per benedictiones ejus creverunt et duodecim cophinorum fragmentis, quae ex eis nascebantur, multiplicati sunt.

Porro Christus verbo suo vim potentiae [3] eis quibus praeceptum dederat, et celeritatem donorum suorum eis qui ea accipiebant, monstravit. Attamen non tantum panes multiplicavit, quantum poterat, sed quantum edentes poterant manducare. Miracula enim non pro sua virtute, sed pro indigentia esurientium metiebatur.

1. Confer, quae s. auctor supra ad Math. 5, 39 dixerat.
2. Ita est. in cod. B. In cod. A falso est սրամտութեամբ pro սրութեամբ։
3. Ita in cod. B. In cod. A falso: sanctitatis.

Si enim ad potentiam suam miracula mensus esset, nemo posset aestimare, quantam victoriam virtus ejus reportaret. Ars ejus ad famem illorum millium hominum mensurata est, quam numerus duodecim cophinorum superavit[1]. Apud omnes artifices desiderium indigentium major est, quam illorum potentia, quia, quantum indigentes desiderant, artifices facere nequeunt. Sed creatio Christi major est indigentiis. Rursus dixit: Colligite fragmenta coenae, ne quid ex eis pereat, et ne credant, ad speciem tantum eum hoc fecisse. Cum enim fragmenta unum alterumve diem conservaverint, eis persuasum erit, Dominum hoc vere fecisse, nec vanum adfuisse visum.

Quum satiati essent et vidissent, sicut Moysen suis precibus, ita Dominum sua potentia populo cibum praeparasse, coeperunt clamare et dicere: Vere hic est propheta, de quo dictum est, eum venturum esse in mundum, quibus verbis Moysen citarunt dicentem: « Prophetam suscitabit vobis Dominus[2] », non impotentem aliquem, sed mei similem, qui satiabit vos panibus in deserto. « Mei similem », ait. Super mare ambulavit, in nube apparuit, ecclesiam suam a lege circumcisionis solvit et Ioannem virginem pro Josue, filio Nun ducem Dei constituit, eique Mariam, ecclesiam suam, dedit; sicut Moyses Josue populum dederat, ut impleretur, quod dictum est: « mei similem ».

Et cum ad vesperam esset dies, surrexerunt discipuli et ascenderunt navem, ut irent in Capharnaum. Dominus autem ascendit in montem, ut solus oraret (Math. 14, 23-33). « Ecce, ait, super montes pedes evangelizantis[3] ». Quis iste sit, ipse explicat addens: « Qui evangelizat pacem ». Cui? Gentibus. « Loquutus

1. Id est: Non solum famem eorum explevit, sed insuper duodecim cophinos panum fecit, qui post satiatam multitudinem remanebant.
2. Deut. 18, 18.
3. Nah. 1, 15.

sum, ait, pacem gentibus »[1]. « Perage, tribus Iuda, festum anniversarii tui[2] », in tempore enim festi azymorum fecit Dominus signum in panibus. Propheta dicit: « Fac, Juda, festum anniversarii tui, » quia advenit festum anniversarii nostri. « Et perfice foedus tuum, » quia advenit agnus verus et pacta antiqua abrogata et memoralia eorum consummata sunt. « Quia non amplius addet facere iniquitatem in te ». Quis? Potestas regum aut sacerdotum. Cur non addet? Quia Dominus perdet eam. « Omnem potestatem regni et sacerdotii perdit ».

Quum igitur in navi sederent et vento in ea agitarentur et mare contra eos commota insurgeret, venit Dominus eisque apparuit, ipsi autem opinabantur, spectrum esse, quod eis apparuit. Certe enim sciebant, Christum corpore, quod gravitate deprimitur, indutum esse ideoque cogitatio eos subiit, grave corpus super aquas ambulare non posse. Quum hoc ita se haberet, non imprudenter obstupuerunt. At si Jesus, ut tu Marcion dicis, corpore non erat indutus, absonum erat mirari, quod super aquas ambulavit; spiritui enim difficile non est, super mare ambulare. Cur ergo mirati sunt? Si eum incorporeum noverunt, imprudenter admirati sunt et stulte exclamarunt; si vero corporalis erat, recte obstupuerunt, quia rem novam viderunt, videlicet, corporeum super undas maris ambulantem, quin submergeretur. Si objiciunt, quia nox erat, eum apparere non potuisse, respondemus, hoc Christo spirituali difficile non fuisse, qui, quando voluit, in monte ut sol apparuit. Et quia ipse Dominus scivit, quod recte obstupuerunt, animum eorum confortavit dicens: Ego sum, nolite timere, i. e. ego sum ille corporalis, quem vos cognoscitis.

Simon autem intelligens, eum de corpore suo dixisse: « Ego sum », respondit et dixit: « Si hoc revera ita est, etiam ego carne vestitus sum[3]. Si ego

1. Zach. 9, 10.
2. Pergit explicare. Nah. 1, 15.
3. Constructionem hujus et sequentis sententiae mutare nolui, quia loco Math. 8, 9 similis est.

quóque super aquas ambulavero, tunc scio, te eodem corpore, quod ego te habere novi, ambulasse. Et quum descenderet, ut in mari ambularet, et coepisset mergi, Christum non negavit, nam Christus ei non dixit « sine fide », sed « modicae fidei ». Mare autem Dominum sustulit et suis undis portavit et hac ratione viam, quam Dominus Apostolis suis in terris stravit, significavit ibique impleta sunt verba Scripturae : « Tu dominaris potestati maris et commotionem fluctuum ejus tu mitigas[1]. Cum venisset Dominus et cum Petro navem ascendisset, ventus cessavit et quievit. Arius quoque, qui nativitati Christi ex Patre contradicit, arguitur per verbum, quod in illa navi dictum est: Venientes accesserunt ad Dominum et coeperunt eum adorare et dicere: Vere Filius Dei es tu. Haec consonant cum eis quae de eo scripta sunt : « Viderunt te aquae et timuerunt, et abyssi turbatae sunt, et via tua in aquis multis et vestigia tua non apparent[2] ». His igitur verbis Apostoli confessi sunt, eum vere esse Filium Dei, de quo haec omnia dicta erant.

Quod signum facis, ut videamus et credamus in te (Ioan. 6, 30-59). Et ecce, multa signa Dominus eis ostenderat. Sed quia unum desiderabant, spreverunt cetera, quae fecerat, et ita loquuti sunt, ac si rumor et fama ejus nunquam in aures eorum manasset. Quid jam erat, quod volebant? Id apertis verbis ei dixerunt: Patres nostri manducarunt Manna in deserto, ut et scriptum est: Panem coeli dedit eis manducandum? Quasi aliquis diceret: Si facis tale signum, bene, si minus, te nolumus in posterum videre, quia Moyses dixit nobis: « Prophetam, sicuti me, suscitabit vobis[3] ». Quum Dominus eos de Moyse gloriantes ipsumque contemnentes videret, quod voluerunt, facere renuit, non quia id

1. Ps. 88, 10.
2. Ps. 76, 17.
3. Deut. 18, 18.

praestare non poterat, sed quia sciebat, hoc eis utile non fore. Moyses enim id eis fecit, nec profuit, quin immo postea a foedere ejus aversi sunt et mores suos depravarunt.

At Dominus non spernens dona mittentis se, sed vituperans acceptores donorum, sciens, quem finem amarus eorum animus haberet, dixit ad eos: Hic est panis, qui descendit de coelo, si quis ex eo manducabit, num et morietur?[1] Nequaquam, dicit, quia hic est panis, qui toti mundo datus est. Moysi non perfectum Manna datum est, ideo Manna ejus solis Israëlitis dabatur. Ut autem ostenderet, donis suis dona Moysis superari, sicuti vocatione gentium vocatio populi durae cervicis superatur, dicit: Omnis, qui manducat ex hoc pane, vivet in aeternum. Quia panis Dei descendit de caelo, etiam toti mundo datus est. Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, trahet eum ad ipsum[2]. Quod dixit, ut doctrina a Deo eis data in eis ad efficaciam excitaretur. Ast ubi est illud: Ego sum via et porta ovium[3]? Porro dixit hoc, ut unusquisque ex eis perfectus fieret, tamquam a Deo tractus, et hoc modo certa ejus possessio evaderet. Qui enim ad Christum venerunt, juxta nomen Patris appellati sunt, qui autem perierunt, juxta nomen Satanae. « Et nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis[4] ». Simili ratione populus Israël, qui peccaverat, juxta nomen Moysis vocatus est, quia in Moysis auctoritate perstabat. Qui maledicit patri suo aut matri suae, morte moriatur (Matth. 15, 1-12), et qui blasphemat Deum,

1. In cod. B: « Non morietur ». Sensus lectionis codicis A hic est: Num morietur manducans ex hoc pane? Nequaquam, respondet Dominus, quia hic panis ad vitam totius mundi datus est. Lectio cod. B ita explicari potest: « Non morietur ». Revera non morietur, dicit Dominus, quia hic panis, etc.

2. In cod. B: « ad me ».

3. Objectionem: Quomodo Christus via fidelium vocari possit, si Pater eos trahit, s. auctor responso dignam non censuit.

4. Ioan. 17, 12.

crucifigatur [1]. Quibus verbis Deus honorem parentum cum suo honore comparavit, quam comparationem et propheta fecit, dicens: Si Pater sum ego, ubi est honor meus, et si Dominus sum, ubi est timor meus? [2] „ Quod Dominus confirmat dicens: Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam et vos dicitis unicuique patrum vestrorum et matrum vestrarum: Agedum, munus est quodcunque a me, utilitatem capies. Et filius, cui talem legem dedistis, postea non studet honorare patrem et matrem. Forsitan et propterea Pharisaeis, qui socios suos contra Dominum irritabant [3], dixit: « Illius quoque Pharisaei, qui me ad coenam invitavit, propter cibos appositos personam non respicio, ut vos facere soletis; „ nam etiam hic patrem et matrem non honorat. Quod dixit: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, radicitus evelletur, de traditionibus seniorum eorum intelligendum est.

Mulier clamavit et sequuta est eum dicens: Miserere mei. Ipse autem nullum responsum ei dedit (Math. 15, 21-28). At silentium Domini quasi clamor prodiit et os Syrophoenissae fecit foecundum. Repulit eam silentio, at illa non recessit; restitit ei verbis, at illa non arcebatur; Israëlem infestum honoravit, at illa invidia non agebatur. Econtra mulier se ipsam humiliat et Israëlem extollit dicens: Et canes de micis mensae domini sui edunt, ut Iudaei domini gentium apparerent. Discipuli accesserunt eumque rogare et orare coeperunt, ut eam dimitteret. Quibus Dominus in hac muliere exemplum vehementis amoris gentilium voluit proponere. Dominus gentiles canes vocavit et Israëlitas filios, attamen gentiles, quos parabolice canes nominabat, amorem et castitatem, Israelitae vero, quos

1. Forsitan alludit ad Lev. 24, 16: « Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur ».
2. Malach. 1, 6.
3. Haec sententia ex cod. B emendata est.

parabolice filios vocabat, rabiem canum habebant. Non est bonum, sumere panem filiorum et proficere canibus. Multa verba despicientiae Dominus auribus mulieris immisit, ut fides ejus manifestaretur. Audi vero, quae respondit: Sane Domine. Non pudebat eam, suae utilitatis gratia, canem appellari. Ideo: Dico tibi, mulier, magna est fides tua. Quum autem gentiles canes nominaret, dona sua pani comparavit.

In medio Israelis hoc miraculum fecit, ut eos doceret, sibi resistentem virtuti Excelsi resistere. Nam populus Israel, quem olim sic dictus Iesus, filius Nave regendum suscepit, advenientem veri nominis Iesum non agnovit; posteri autem Chananaeorum ex observatione signorum, quae olim per Josue filiorum Nave facta viderunt, verum Vivificatorem per delineamenta ejus cognoverunt. Et postquam ex semine Chananaeorum illa immunda exiit, quae ex typis et similitudinibus veritatem cognoverat, conversa et munda in Israel intravit, cui, etsi multo tempore per typos et similitudines veritatis exercitato tamen inopinatus venit Dominus, qui per typos designabatur. Sed idem malignus spiritus eos possedit, quando ab exploratione terrae redierunt, quo tempore turmatim furore acti contra Moysen exurrexerunt, ut eum lapidarent. Restituit pacem, et iram eorum repressit.

Hoc erat nomen[1] quod ante faciem eorum gigantes perdidit, et ille malignus in Chananaeos intravit et venerunt, ut cum Iesu filio Nave bellum gereret. Quum autem Iesus venisset, per veram fidem Chananaeorum malignum spiritum ex illa puella ejecit, quae imago erat populi Chananaeorum. Isti propter nomen Iesu diversos idolorum cultus reliquerunt, Israelitas autem nostri aevi si conspicis, omnem furorem, indignationem, iram, odium et invidiam gentilium in eis habitantem invenies.

1. Scilicet nomen Iesu, quod in significatione convenit cum nomine Iosue.

Sed tu [1], qui haec audis, caveas, ne narrationem de spiritu hoc immundo et septem sociis ejus plane et integre sequaris, sed vim similitudinis aut sensum parabolae sano judicio [2] accipe, nec per omnes partes similitudinis, nec per omnem vestitum parabolae distraharis. Ubi enim parabola latius describit, alicui verbo hac occasione adhibito quasi vestis datur, quod, si supervacanea deponit, in sua veritate apparet. Et quemadmodum Chananaei, qui contra illius [3] nomen bellum gerebant, ex sua terra extirpati sunt, ita et Israelitae e loco suae habitationis expulsi sunt.

Dominus noster quasi venator ad puteum venit (Ioan. 4, 1-42). Aquam petiit [4], ut occasionem ab aqua sumens aquam daret. Potum ut sitiens rogavit, ut occasionem sibi pararet [5], sitim per potum explendi. Petiit a muliere, eam docens, ut ipsa vicissim ab eo peteret. Ditissimus non aversabatur, quasi indigens rogare, ut per suam indigentiam ad rogandum excitaret. Nec, ne ~~solus~~ cum muliere loqueretur, pudor eum deterruit, ut nos doceret, in veritate firmiter consistentem conturbari non posse. Admirati sunt, quod cum muliere loquebatur. Discipulos a se dimoverat, ne ipsius praedam depellerent. Granum columbae projecit, qua totum gregem caperet. Interrogavit eam de hoc et de illo, ut verum fateretur. Da mihi bibere aquam. Vide, quomodo initium colloquii texuit. Aquam poposcit, qui aquam vivam promisit. Petiit Dominus et destitit a sua petitione, ut et mulier a levanda hydria sua. Protrahebantur occasiones, ut veritas, propter quam occasiones allatae erant, adveniret.

Da mihi bibere aquam. Dicit ei mulier: Ecce tu Iudaeus es. Dicit ei: Si scires, quibus verbis ei ostendit, quod inscia esset et ru-

1. Sequentia, ut contextus probat, h. l. intrusa sunt. Cf. Math. 12, 43.
2. Ita in cod. B.
3. Scilicet Iesu in persona Iosue.
4. Locus ex cod. B emendatus.
5. Ad verbum: Ostium aperiret; tropus, ut I Cor. 16, 9; et II Cor. 2, 12.

dis, et ex ignorantia in errore versaretur, sed simul ad cognitionem veritatis eam direxit, ita tamen, ut paulatim velamen a corde ejus amoveret. Si enim ab initio ei manifeste dixisset, se esse Christum, mulier eum abhorruisset, nec per institutionem et doctrinam discipula ejus facta esset. Si scires eum qui dixit tibi, da mihi de aqua ista ad bibendum, tu petiisses ab eo. Dicit ad eum mulier: Tibi non est situla et puteus profundus est. Dicit ei: Mea aqua e coelo descendit. Doctrina nempe est rerum sublimium, potus coelestis, ex quo qui bibunt, amplius non sitiunt. Unus est baptismus credentium. Qui bibit ex hac aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in aeternum. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi ex ista aqua, ne sitiam, nec alia vice ad hunc puteum veniam, ut ex eo aquam hauriam.

Dicit ei: Vade, voca ad me virum tuum. Portam sibi aperuit, ut tanquam propheta abscondita ei ostenderet. Quinque viros commutasti, et quem nunc habes, non est vir tuus. Dicit ei mulier: Domine, mihi videtur, te esse prophetam. Quo dicto in altiorem gradum eam evexit. Patres nostri in hoc monte adoraverunt. Respondit ei: Nec in hoc monte, nec in Jerusalem, sed veri adoratores in spiritu et veritate adorabunt. His verbis ad perfectionem eam deduxit. Porro hoc dixit, ut ostenderet, hanc mulierem non esse terram sterilem[1] sicque per eam quam sibi in testimonium assumpserat, indicavit, semen suum centesimam messem edere. Dicit mulier: Ecce Christus venit, et si venerit, omnia nobis dabit. Dicit ei: Ego sum, qui loquor tecum. Si rex es tu, quare aquam a me petiisti? Ab initio itaque colloquii personam suam ei non manifestam fe-

1. Ita in cod. B. In cod. A: Terram opimam, quae lectio contextui contraria est.

cit, sed primo Iudaeum, tunc prophetam et prostremo Christum se ei revelavit. Per gradus ex ordine usque ad ultimum gradum eam deduxit. Primo eum vidit ut hominem sitientem, dein ut Iudaeum, postea ut prophetam, denique ut Deum. Homini sitienti persuadere voluit, a Iudaeo abhorruit, doctorem interrogavit, a propheta correpta est, et Christum adoravit.

Quia Iudaei turpe putabant, mulierem Samaritanam in matrimonium sumere, Iudae exemplum considerantes, qui Selam a Thamare amovit, idcirco mulier haec seducta adulteria commisit, nam Christus ei dixit: « Quem nunc habes, non est vir tuus ». Et quia mulier sua peccata confessa est, ei crediderunt: siquidem aures nostrae delectantur; si mala panduntur, maxime vero, quia videbant, ne se ipsos quidem nosse, quod Christus ei patefecerat. Attamen prudenter ita cogitarunt et dixerunt: Si hic Christus esset, non in hac una re, sed multis in rebus virtutem suam monstraret. Et revera Dominus eorum votis satisfaciens multis in rebus suam virtutem inter eos exhibuit. Quum haec miracula vidissent et mirabilem et stupendam revelationem mulieri Samaritanae factam audiissent, occasionem irrisionis Iudaeis praeripuerunt, qui dicturi erant, in professione mulieris adulterae fidem eorum esse fundatam. Propterea mulieri dixerunt: Non postmodum propter verba tua credimus in eum, sed quia audivimus nos doctrinam ejus et vidimus opera ejus, quia Deus est, et cognovimus, eum profecto esse Christum verum. Etenim super scientia nostra fundamentum fidei nostrae poni oportuit.

Patres nostri in hoc monte adoraverunt. Haec de Iacob et filiis ejus dixit, quia in monte Sichem aut in Bethel aut in monte Samgriazim [1] adorarunt. Quod dicit: Nec in hoc monte, nec in Ierusalem adorabunt, idem est ac: « In omni

1. Sic in utroque codice pro Garizim legitur. Probabiliter vox Samaria huic denominationi subjacet.

loco, in quo recordantur mei nominis [1]. Rursus, quia mulier dixerat: « Vos dicitis, in Ierusalem tantum est locus adorationis, et patres nostri in hoc monte adoraverunt, » ut ei ostenderet, Deum non esse corporalem, ait: Profecto dico tibi: Nec in hoc monte, nec in Ierusalem adorabunt, sed veri adoratores adorabunt Patrem per Spiritum Sanctum in veritate ». « Nec in hoc monte, nec Ierosolymis adorabunt » quo ostendit, adorationem fore in universa terra post ficum excissam [2], quae adorationem impediebat.

Si vis, Domine, potes me sanare. Leprosus ita secum cogitabat: « Forsitan legem observat ut Elisaeus, qui ad Naaman non exivit », quod dubium Dominus eum tangendo solvit et docuit, legislatori legem obstare non posse. Aut leprosus suspicabatur, eum a lege alienum et legi contrarium esse; quapropter Dominus occulte et publice eum sanavit, ne forsitan corporaliter sanatus spiritualiter damnum pateretur. Vade, ostende te ipsum », i. e. propter sacerdotes ostende te. Quia timuerat, Dominum tangere, ne immundum eum faceret, Dominus ipse eum tetigit, ut ei ostenderet, se non tantum per eum immundum non fieri, sed et immunditiam suo mandato ab immundis aufugere. Quod Dominus leproso ostendit, id tentans operi accomodavit. Antequam in fide eum tentaret, noverat eum; tentare enim sine praescientia ignorantium est. Dominus succensuit utrique [3]; si enim leprosum non tangeret, opinio ejus per hoc confirmabatur, Dominum a lepra timere; et si eum tangeret, contrarium in mentem ejus incurrebat, Dominum adversarium esse legis. Ideo extendens manum suam divinitatem ostendit et immunditiam expulit; verbo autem oris sui electionem suam demonstravit et suspicionem removit, se esse a lege alienum et legi contra-

1. Exod, 20, 24.
2. Ficui Iudaei comparantur apud Math. 21. 19.
3. Ita verba se habent. In Syriaco haec ita fuisse conjicio: Agitabatur Dominus per utrumque.

rium. Aut quia ille Iudaeus erat, et a sacerdotibus audierat, Iesum esse adversarium legis et inimicum Scripturarum, existimabat, Christum Iudaeos nolle sanare.

Si vis, potes. Ratio et modus petendi prodit dubitantem [1]. Te posse, ait, scio; utrum velis, nescio. Sed Dominus duo pro his duobus ei ostendit, reprehensionem [2], cum ei irasceretur, et misericordiam, cum eum sanaret. Quia dixit: « Si vis, » iratus est; quia addidit « potes », eum sanavit, ut, sicut carnem ab immunditia, ita et animum leprosi a pravis opinionibus purgaret. Docet autem eum dicens: Vade ad eos qui ipsi impuri sunt et te docere non possunt, et offer munus pro purificatione tua, sicut Moyses te edocuit. Et dicit: Ne cui dicas, ne sacerdotes putarent, ideo quia conquesti sunt, leprosum ipsorum recordatum esse, et obtulisse sacrificium. Tace, ait, et si eos adieris et te interrogant, quomodo sanatus sis, discant, mihi curae esse, legem Moysi non despici.

Si vis, potes me mundare. Vidit hic vir, Dominum non omnes mortuos suscitare, nec omnes morbos sanare, unde existimavit, quod, quos voluerit, sanat, ideoque ei dixit: « Domine, si vis, potes me mundare » Propterea Dominus per indignationem monstravit, se non ex personarum acceptione sanare. Verum quia credidit dicens: « Si vis, potes me mundare », Dominus eum sanando ostendit, se fidem non rejicere. Rursus quum leprosus videret, a sacerdotibus variis de lepra datis praeceptis leprosos defatigari, quin ab eis sanarentur, ceremoniae legis in oculis ejus hac ex causa vilescebant, ideoque dixit: « Si vis, potes me mundare ». Quare Dominus propter has cogitationes ei iratus est et deinceps ei praecepit: « Vade, ostende te ipsum sacerdotibus et legem imple, quam spernis ». Porro hoc fecit, quia leprosus existimabat, Christum idem sentire, quum nonnulla ex lege eum solventem

1. Ita Aucher: Verba sic habentur: Ratio et modus est petentium, verba sunt dubitantium.
2. Marc. 1, 43.

videret. Sed et animadverte, non ei, sed leprae Christum iratum esse.

Si vis, potes me mundare. Et extendit manum. Quod manum extendit, ajunt, solutio legis est, quia juxta legem, quodcunque tangit lepram, immundum est. Verum Dominus nequaquam leprosum attigit, sed dexteram suam salutiferam versus eum extendit. Utrum legi inimicum se exhibuerit, videbimus relegentes, quae sequuntur[1]. Ostendit, naturam esse bonam, quia ejus defectum complevit, et mittens eum ad sacerdotes sacerdotium confirmavit. Praeterea praecipiens, ut dona pro sua purificatione offerret, nonne legem confirmavit, sicut et eo quod addidit: Sicut praecepit vobis Moyses? Multa praecepta Moyses eis de lepra dedit, sed nihil per eas potuerunt proficere; Christo autem veniente venit et sanatio per verbum et multa genera praeceptorum abolevit, quae lex leprae[2] esse videntur. Vade ad sacerdotes propter testimonium eorum, quia praeceptum est, ut ante purificationem lepram inquirerent et post lepram sublatam testes fierent. De praeceptis antiquae legis Moysi Christus hoc locutus est, et illa in testimonium suae doctrinae accersivit dicens: „Sicut Moyses praecepit", quibus verbis docuit, illa a se non abrogari, sed suos praecones fieri coram populo.

## CAPUT XIII.

Fuit ibi vir quidam, cui triginta octo anni erant infirmitatis suae. Dicit ad eum Dominus: Vis, ut sanus fias. Ergo nolebat. Dicit ad eum infirmus: Adjutor non est mihi, ut si moventur aquae, me demittat. Aliud Dominus interrogavit, et aliud infirmus

1. Scilicet verba: Vade ad sacerdotes et offer munus, etc.
2. Forsitan: lex praecavendae leprae.

respondit dicens: Non est mihi adjutor, qui me dimittat, et dum ego tardus me moveo, jam alius ante me descendit. Et per annos triginta octo talem non invenit. Quibus dictis Iudaei confunduntur, qui non credunt, baptismum peccata dimittere. Si enim credunt, per aquam Siloe angelum sanasse infirmum, quanto magis credant oportet, angelorum Dominum per baptismum ab omni macula purificare [1]? Et quia opinabatur, solam aquam ipsum juvare, ei dixit: Surge, tolle grabbatum tuum et vade. Peccator erat et infidelis, quod Dominus testatur dicens: Noli amplius peccare. Intravit justitia et in ore ejus fidem quaesivit, sed non invenit; sanavit eum misericordia, ne gratia vacua transiret.

Sta in pedibus, sume grabbatum tuum, et vade in domum tuam. Nonne sufficiebat dicere: Surge, ambula? Nonne et hoc miraculum fuisset, si, qui in suo lecto se vertere non valebat, subito surgeret et ambularet? Verum ut Dominus monstraret, se illi perfectam sanitatem dedisse, adjunxit praeceptum, ut lectum susciperet. Non enim ad modum aegrotorum, qui sensim sanitati restituuntur, eum sanavit, quare dixit: « Sta in pedibus, tolle grabbatum tuum et ambula ». Si enim ille taceret, lectus ejus clamaret. Quum vero Iudaei eum vidissent, dixerunt: Quis dixit tibi: Tolle lectum tuum? Dimiserunt, ut Scriptura indicat, eum suscitari: « Quis te sanavit », et dixerunt: Quis praecepit tibi, tollere lectum super te die sabbati? O caeci, stulti, surdi et insensati, quid est, quod unum dimittitis et alterum quaeritis? Quum isti caecorum instar interrogarent, ille, qui sanatus est, lucidum eis responsum dedit, quia advocatus erat prudens et illuminatus, quem sapiens medicus misit, ut aberrantes in rectam viam reduceret.

1. Aucher verba accurate exprimit vertens: « Albedines dealbare », sed et sensum indicat adnotans: maculas dealbare. In Syriaco sine dubio erat: dealbando dealbare, i. e. omnino candidum et purum facere.

Quis praecepit tibi, tollere lectum tuum super te? Quia illi miraculum sanationis occultare et virum, qui lectum susceperat, reprehendere volebant, hic aperte sanationem suam praedicavit, illorumque incredulitatem vituperavit et confutavit. Non eis dixit, quod audire volebant, sed quod credere aversabantur. Is qui me sanavit, dixit mihi: Surge, tolle lectum tuum et vade. Dicunt ei: Quis est iste? Dixit: Nescio, quia Iesus, quum multitudinem populi videret, declinavit ab illo loco. Et post aliquod tempus vidit eum et dixit ei: En sanus factus es, exinde noli peccare, ne alio quodam tibi opus sit. Dixerat enim: Non habeo aliquem [1]. Et tunc homo abiit et Iudaeis narravit, quod Iesus erat ille, qui me sanavit. Quumque Dominum redarguerent, quod die sabbati sanaret, dixit eis: Pater meus usque hodie opus operatur, ideo et ego operor. Iudaei itaque propterea persequebantur Salvatorem, quia non solum die sabbati sanabat, sed etiam, quia Patrem suum dicebat Deum, et se ipsum Deo aequalem faciebat.

Attamen considera, quod non respondit: Non solvi sabbatum, sed: Solvi eum, sicut Pater meus in coelis. Pater meus, opus operatur et ego operor. Si enim res creatae, angeli et luminaria et ros et pluvia et fontes et flumina die sabbati non cohibentur; si die sabbati nec angeli removentur a suo servitio et famulatu, nec coeli a mittendis roribus et pluviis, nec luminaria a cursu, nec terra a proferendo fructu, nec homo a respiratione et generatione filiorum, immo potius die sabbati homines generantur quin praeceptum aliquod obstet [2], et die octavo circumciduntur, si his conditionibus et aliis paene innu-

1. Scilicet, qui me in aquam demittat.
2. Ad verbum: « Quin sit praeceptum », scilicet, hoc non faciendi.

meris lex solvitur ; si res creatae ejusmodi sunt, quanto magis Creator ? Ideo : « Dominus est sabbati filius hominis [1] ».

Simile ejus responsum in alio loco invenimus, quando discipulos ejus reprehendebant, quod spicas fricabant ; dixit enim eis : « Nunquam legistis, quid fecit David, quomodo edit panes oblationis, quos comedere ei et eis qui cum ipso erant, non licebat ? [2] » Intellige ergo sensum verborum istorum et vim in eis absconditam cognosce. « Persequebantur eum, ait, quia se ipsum aequalem faciebat Deo ». Quando discipulos ejus arguebant, testimonium Davidis eis proposuit, qui, etsi propheta, rex et justus esset, tamen homo erat, ut et Apostoli homines erant ; decebat enim, servum testem fieri conservis suis ; quum autem ipsum arguere vellent, non David, qui homo erat, in testimonium eis adduxit, nec testimonium coelorum, quae res creatae sunt, nec angelorum, nec Seraphim, nec spirituum custodum, qui omnes in ministerium mittuntur, sed omnibus supernis, infernis et terrestribus rebus, et coelis et omnibus, quae in eis sunt, relictis, testimonium Domini omnium naturarum et Dei omnium rerum creatarum in medium produxit, dicens : « Pater meus usque hodie operatur, ideo et ego operor ».

Pari modo caecum a nativitate misit lavatum in Siloe, primo, ut manifestum redderet, caecum non dubitasse, quin sanaretur, et secundo, ut si caecum abeuntem interrogarent, hic rem exponeret, sicque iterum fides ejus innotesceret. Simile est, quod dixit : « Surge, tolle lectum tuum », ut die sabbati sanatum viderent et interrogarent. Sabbatum itaque non propter Deum institutum est, sed propter hominem, ideo, qui dedit eum, etiam dominus ejus est. Quaestioni : Num ego sum dator sabbati, nec ne ? operibus responsum videmus. Ecce caecus testis est et aegroti praecones sunt.

1. Math. 12, 8.
2. Math. 12, 3.

Dominus omnes leges ex ordine observavit, quo ostendit, eas esse custodiendas, ut leges ab ipso custoditae suos destructores condemnarent. Nonnullas autem leges solvit in bonum, ut doceret, se summam omnium rerum habere potestatem, atque per sanationem declararet, se Dominum esse legis, quia res creatae ipsi obediebant, qui ex voluntate Patris potestatem habet super sabbatum.

Sabbati igitur solutione cognoscimus, quis ille sit, qui dixit: « Pater meus usque hodie operatur ». Porro his verbis redarguit Iudaeos, quod ipsi non in bonum legem solverent. Non enim eos vituperavit, quod unusquisque asinum et jumentum adaquatum duceret, immo potius eos docuit, bonum esse, bona operari die sabbati. Testimonium ab ipsis sibi sumpsit. Licet caute eum observarent et occasiones captarent, nunquam praeceptis Patris sui contrarius inventus est. At quia ipsi legem omnino non observabant, ideo eos de medio sustulit. Vide mandata constricta, quae ligata sunt et nullo modo solvuntur, et vide alia, ab ipso legislatore multis modis soluta. Quum autem populus veniret, qui id quod scopus erat instituti sabbati, sua sponte faciebat, sabbatum necessitatis abrogatum est, ut opus libertatis appareret. Scrutare ergo veram sabbati significationem [1]; videlicet ex observatione ejus discimus, quae sit voluntas ejus qui legem sabbati dedit. Itaque si quis sine sabbato [2] sponte sabbatum observat, nonne sic [3] libertas spirituum pluris aestimanda est, quam necessitas sabbati?

Sicut Patér vitam habet in semetipso, ita et Filio dedit. Si persona Patris aliena

1. Ad verbum: « Opus sabbati ». Sed « opus » in hac s. Ephraemi versione nonnumquam essentiam rei alicujus significat. Sequentia hoc modo intelligo: Ex eo quod Ecclesia, Christi exemplum sequens, suo modo sabbatum observat, etsi lege antiqui testamenti non sit obstricta, perspicitur, Deum in novo Foedere non totam legem sabbati abrogasse, sed coactionem legalem, quae erat in antiquo testamento, sustulisse.

2. Id est: sine lege sabbati, qualis erat apud Iudaeos.

3. Ad verbum: « Ecce ». Haec vox in cod. A deleta est.

esset a vita, quam certe suae naturae convenientem habet, de Filio idem sentiendum esset. Sicuti autem Pater ipse totus vita est, et vita ejus a nulla causa pendet [1], ita etiam de Filio intellige, ut de Patre, quod nempe vitam habet in persona sua. Si propterea quod scriptum est: « Ita et Filio dedit », opinaris, praeter donum Patris Filium non habere vitam in semetipso, priorem sententiam pervertisti, quia persona Filii tamquam aliena a vita tibi videtur. Sed corpus ejus in medium profer, in quo illud « dedit » colloces, juxta id quod sequitur: Dedit ei potestatem, ut judicium faciat filius hominis. Itaque vocem « dedit » et verba « dedit potestatem » ita intellige: Si Pater vitam, quam essentialiter habet, alicui dat, hic non fit ei consubstantialis, sed quoddam additicium; nec tanquam simile aliquid Patri implantatur. Si tamen ei implantatur [2], inde postea fit particeps naturae ejus, licet differat ab essentia ejus. Et si super id quod non existit, vitam essentiae suae dat, idem est [3].

Sed fortassis dices: « Nonne dedit [4] ». Dixi: Profer causam corporis in medium et sine repugnantia audies, Patrem dedisse ei qui potestatem judicii accepit. Quinimmo et propheta de illo « dedit », et de potestate judicii testimonium perhibet, quia potestatem libertatis ei attribuit dicens: « Cujus potestas posita est super humeros suos [5] ».

1. Ad verbum: Et vita ejus sub causis non est conclusa.

2. Scilicet per glorificationem. Cf. I Petri 1, 4. Haec sententia partim ex cod. B completa est.

3. Sic haec sententia ad verbum se habet. Sensus ex praecedentibus hic fluit: Si Deus vitam, quam ipse essentialiter habet, eis quae non existebant, per creationem tribuit, haec ei non fiunt consubstantialia.

4. S. auctor adversarium fingit, qui assertioni suae insistens, dicit: Nonne scriptum est, quod « dedit » Pater vitam Filio? Cui respondet, Patrem Filio qua filio hominis vitam dedisse, sicut et judicium ei dedit. In textu impresso et utroque codice pro « nonne » est « non », quod Aucher recte interrogative explicavit.

5. Is. 9, 62.

Pater neminem judicat, sed omne judicium in manus Filii sui dedit. Qui ergo exinde se ipsum vindicat, manifeste domino omnis vindictae injuriam facit, quia non agnovit eum qui ipso potentior est et transgressiones ad suum tribunal adducet. Hac de causa Christus judex nominatus est, ut discipuli invicem se non judicarent, simulque dictum est, eum in fine mundi judicaturum esse, ut exinde nemo se ipsum ulcisceretur. Propterea Christus caput appellatus est, ut discipuli ejus quasi membra sibi invicem compaterentur, oculi pedes arguerent, et cor per poenitentiam ventrem et reliqua membra corriperet. Vide ergo, quam temerarium sit judicium hominis, qui juste se ipse vindicat, quia judicem universi mundi contemnit.

Hic est lucerna, quae ~~lucebat~~, quae post incrementum extincta est, quia nocte lucebat, ut cognosceretur, exorto solis splendore lucernae radios transire et extingui. Nec ab hominibus sumo aliquod testimonium, quia habeo testimonium, quod majus est, quam Ioannis. Verum si ab hominibus non sumit testimonium, cur Ioannes ante eum venit? Sed ne a magnitudine Christi terreantur, parvitas variis modis eam praecessit. Baptismus aquae venit ante baptismum Spiritus, et is qui novit, suam generationem esse ex sacerdote, testatur de eo, cujus conceptio ex Spiritu abscondita erat, ut cognoscerent, in eodem spiritu prophetam Ioannem loquutum esse de illo, qui vituperabatur a Scribis, quod leges Moysi solveret.

Et si ab hominibus testimonium non accipit, cur ad Ioannem se contulit, ut ab eo testimonium acciperet? Sed Ioannes a Deo missus erat. « Qui me misit, ad me dixit [1] ». Ergo Pater per Ioannem de eo testatur, ut et dicit: « Moyses de me scripsit »; et iterum: « Moyses ipse accusator est vester ». Dicit: « Moyses de me scripsit », nimirum

1. Ioann. 1, 39.

quum ait : « Si surgat propheta et faciat signum aliquod vel miraculum, et si miraculum evenit, recipiatur, quia propheta est ; si vero hoc non evenit, ne credatis, quia mentitur [1] », quo in loco Moyses de me scripsit. Moyses ipse est accusator vester, quia nec verbo ejus, nec operibus meis creditis. « Quis ex vobis arguit me de peccato ? [2] » quia ecce publice prophetizo. Sed quoniam scriptum est, recipiendum esse prophetam, quicunque sit, si signa ei sint, ideo ait : Ipsa opera, quae facio, de me testantur. Moyses ergo ipse vos accusat, quia omnia, quae dixit, impleta sunt, nam verbum cum opere concurrit. Et si alium Deum vobis non praedicavi, sed tantum dixi : « Audi Israel, Dominus Deus tuus unus Dominus est [3] », et si ipse me misit et ad eum oro et eum colo, si haec vos docui, cur mihi non creditis ?

Quomodo autem Moyses fidem invenit in Aegypto in medio fratrum suorum et Pharaonis ? Forsitan per signa ? Sed, ecce, et incantatores signa fecerunt, sicut ille. Quomodo ergo ei crediderunt, quod Deus eum misit, quum nullus propheta eis hoc testaretur et vox de coelis ad eos non pervenisset ? Dicendum est, illos credidisse propter signa et miracula, et quia audierunt, quod Deus patrum suorum eum misit, et veritati verbi ejus radii faciei ejus testimonium perhibuerunt. Attamen difficile fuisset, ut ei crederent, propter illos, qui ei resistebant, quia « fecerunt incantatores, sicut ille », nisi in fine signa ejus victoriam reportassent. Aut quoniam Deus cum eo loquutus erat, fidem invenit ? Sed id non viderunt oculis suis, nec audierunt auribus suis. Si autem propter miracula crediderunt, licet ignorantes, Moyses responsum dedit [4] pro Christo, quod oporteat ei fidem haberi propter ipsius signa et miracula.

Juxta gradum fidei caeco sanatio contigit, ut De-

1. Deut. 13, 1 etc.
2. Ioann. 8, 46.
3. Deut. 6, 4.
4. Sic in cod. B, ubi signum interrogationis deest.

minus oculos invisibiles et visibiles ei daret. Modicum credenti modicum dedit visum. Quum autem modica lux in oculis ejus oriretur, magna lux in mente ejus illuxit. Perficiebatur fides ejus intus et perficiebatur visus ejus foris. Vidit omnia aperte (Marc. 8, 25). Quum in primo et humili gradu esset, Dominus debilem fidem ejus firmavit, quae cum firmior fieret, ex illo debilitatis gradu quasi saltu ad gradum perfectionis ascendit.

## CAPUT XIV.

Quid de me dicunt homines, quod sit filius hominis? Respondent ei: Nonnulli dicunt, quod sit Elias, alii, quod sit Ieremias (Math. 16, 13-28). Quod dixerunt, quia miracula ejus spectantes aeque magnitudinem ejus explicare non poterant, sed nonnulli compararunt eum Eliae propter zelum domus Patris sui, alii Ieremiae propter sanctitatem ejus ab utero matris, alii Ioanni propter baptismum ejus et miracula nativitatis ejus, quia hae res notae erant. Ut discipuli ejus admiratione afficiebantur, ita in eis qui eum videbant, diversae ortae sunt opiniones [1]. Vos autem ~~quid~~ dicitis de me, quod sim? Simon, caput et princeps, locutus est: Tu es Christus, filius Dei vivi. Et ~~respondit~~ : Beatus es, Simon. Et portae inferi te non vincent, i. e. quod non destruetur fides [2]. Quod enim Dominus aedificat, quis potest destruere, et quod Dominus subvertit, quis potest suscitare? Voluit Assyrius destruere templum, quod Dominus aedificaverat, sed hic destruxit thronum regni ejus. Ita et Nicanor. Et Achab voluit aedificare

1. Hic locus ex cod. B; emendatus est.
2. In cod. B: Fides tua.

urbem Iericho subversam et subversus est principatus ejus.

Dominus quum Ecclesiam suam aedificaret, aedificavit turrim, cujus fundamenta omnia, quae erant superaedificanda, portare possent. Quemadmodum, quum una lingua divisa est in multas, ne homines ad coelum ascenderent, (coërcebantur nimirum, ut non ad turrim, sed ad justitiam confugerent; non enim profunda abyssus diluvium eis protulisset, si ad excelsa [1] confugissent, ast injustitia suffocavit et poenitentia liberavit, i. e. justitia servavit) quemadmodum, ajo, in dispersionem eorum turris terrestris et aedificatio diuturna et refugium laboris impeditum est, ita postea etiam Salvator ipse hominibus turrim confecit, quae ducit ad excelsa, et arborem, cujus fructus remedium sunt vitae.

Tu es petra, illa petra, quam erexit, ut Satanas in eam offenderet. Econtra Satanas hanc petram Domino opponere voluit, ut in eam offenderet, quum Petrus ad Dominum diceret: « Absit, Domine ». Nos non diceremus, Satanam ita cogitasse, nisi is qui sciebat [2], id manifestum fecisset dicens: « Vade retro, satana, quia scandalum es mihi ». At Dominus hanc petram sumpsit et retro a se projecit, ut sectatores Satanae in eam offenderent, quoniam « retrorsum abierunt et in terram prostrati sunt » [3]. Nemini dicatis de me, quod sum Christus, i. e. non solum verbis veritatem de me ostendite, sed operibus et meritis. Similiter quum descenderent de monte, eis mandavit: « Cavete, ne cui dicatis visionem, quam vidistis, donec filius hominis a mortuis surrexerit [4] ».

Ecce ascendimus Jerosolymam et implentur omnia, quae scripta sunt de me, quia oportet Filium hominis in crucem

1. Excelsa h. l. sunt montana, ubi Seth cum justis habitabat, dum Cainitae campestria incolebant.
2. « Is qui sciebat », ex cod. B sumptum est.
3. Ioann. 18, 6.
4. Math. 17, 9.

agi et mori, etc. [1]. Satanas se vertit, ut cum Domino certaret per os Simonis, capitis Ecclesiae, ut olim per os Evae. Absit a te, Domine, ~~ut hoc facias~~. Respondit ei: Vade retro, satana. Nonne didicisti, cur in terram venissem? Sicut enim infans in praesepi positus in hanc lucem editos laetificavi, ita et ad inferos me oportet descendere et consolari mortuos, qui sunt apud illos justos, qui a saeculo me exspectabant et me videre sperabant. « Prophetae, ait, et justi et reges desideraverunt [2] » ; et « Abraham desideravit videre diem meum [3] ». Descendam ergo et videbo eum. Quis ergo est, qui nolit me in crucem agi, ut liberem mundum, nisi solus Satanas? Retro ergo vade, quia non cogitas, quae Dei sunt, sed quae hominis. Etenim piscatores erant ignorantes, nec aures eorum sermone prophetiae exercitatae erant.

Erunt quidam, qui nunc hic mihi assistunt (et) non gustabunt mortem (Math. 16, 28-17, 1-9), ut ostenderet, quod vivi in aërem coeli rapientur. Porro Dominus ad se vocavit Eliam in coelum raptum, et Moysen vivificatum, et tres testes ex ipsis praeconibus, qui sunt columnae [4], i. e. qui sustinent testimonium regni. Et Simon in sua inscientia magnam scientiam verbis prodit; nam Moysen et Eliam novit, ut et Ioannes per Spiritum novit Dominum ad ipsum venientem, quia testatus est: « Ego nesciebam eum [5] ». Si ergo Spiritus eis [6] revelavit, ipse Spiritus per os Simonis loquutus est id quod Simon ignorabat. Simili modo dicit, Christum, Moysen et Eliam tribus tabernaculis circumdari, etsi in hoc verbo libertas cum Spiritu associetur [7].

1. Math. 20, 19. Luc. 18, 31.
2. Math. 13, 17.
3. Ioann. 8, 56.
4. Cf. Gal. 2, 9.
5. Ioann. 1, 31.
6. Scilicet Ioanni Baptistae et Simoni Petro.
7. S. auctor spectare videtur verba: « Si vis, » faciamus hic tria tabernacula.

Porro ante mortis suae tempus, quo species faciei ejus immutata est, eos edocuit, se, etsi idem sit, tamen novari, et licet novetur, ipsum eundem esse sciant. Ne itaque, quando ex mortuis transformatus surrexerit, de eo dubitarent, prius eos exercitavit. At si transfiguratio est regnum, quod accepit post resurrectionem, cur post resurrectionem non in hac forma apparuit? Quod propterea factum est, quia eum intueri non potuissent, et ut scirent, se quoque similiter transformandos esse. Et duos illos viros adduxit, ut magis crederetur resurrectio vitae, quae per ipsum fiet in fine mundi. Sive mortui sunt ut Moyses, resurgent, sive vivent ut Elias, ad eum volabunt, quia Dominus est excelsorum et profundorum.

Quum Moyses et Elias apparuissent, dixit Simon: Si vis, Domine, faciamus hic tria tabernacula. Quod dixit, quia illum montem a vexationibus Scribarum vacuum et quietum vidit et hoc ei placuit. Fragrans in nares ejus suavis odor regni pervenit et deliciis eum affecit. Vidit gloriam Domini loco ignominiae et gaudens, quod Dominus ejusque discipuli cum Moyse et Elia commorabantur, desiderabat, cum a Caipha et Herode longe abesse. Compatiens, sicuti quando dixerat: « Absit hoc a te », hac quoque occasione dixit: « Faciamus hic tria tabernacula ». Nesciebat, quod diceret, quia Dominus crucem erat ascensurus, vel quia tabernacula non hîc eis concessa erant, sed in mundo venturo ». Facite, ait, vobis amicos, qui vos recipiant in tabernacula sua aeterna [1]. Porro nesciebat, quod diceret, quia in numero tabernaculorum Christum cum Moyse et Elia aequavit; ideo divina vox de caelo eum illuminavit dicens: Hic est filius meus dilectus, ut Dominus a servis suis distingueretur.

Cur autem Moyses et Elias ei apparuerunt? Quia, quando eos interrogavit: « Quid dicunt de me homines, quod sim? ei dixerunt: Alii dicunt, quod E-

1. Luc. 16, 9.

lias sis, alii Ieremias, alii unus ex prophetis », ut eis ostenderet, se nec Eliam, nec unum ex prophetis esse, Moyses et Elias eis apparuerunt, ut scirent, ipsum esse Dominum prophetarum. Faciem suam in monte ante mortem transformavit, ne de transformatione faciei ejus post mortem dubitarent, et ut scirent, eum qui immutavit vestem, qua indutus erat, etiam corpus, quo vestitus erat, posse vivificare. Qui enim corpori inaccessibilem animae gloriam dedit, potest illud et vivificare a morte, quam omnes homines gustabunt.

Et si deus peregrinus est Christus, cur Moyses et Elias cum eo loquebantur ? Nonne Christus is est, qui Moysen ad vitam et Eliam de coelo vocavit? Et ecce ex priori tempore Iusti eos adduxit. Si autem vi ascendens Eliam de coelo deduxit, non est bonus, quia ex ulnis Iusti rapuit Eliam et testem sibi deduxit. Et si Bonus sine Iusto Moysen investigavit et ejus potitus est, furto reum se fecit, quia et ossa, quae Iustus a facie hominum abscondit, ex sepulcro eruit et eduxit [1]. Et quum vox de coelo fieret : « Hic est filius meus dilectus, ipsum audite », ubi tum erat Iustus ? Num timuit et se abscondit et non prodiit ad vocem illius ? Aut num haec vox Peregrini tacite praeteriit, quin Iustus audisset ? Sed ecce, super tertium coelum est, ut dicunt, et Iustus quoque super coelos est. Quomodo ergo haec vox et haec verba eum pertransierunt, quin ea perciperet, et si percepit, cur tacuit ad omnem hanc gloriationem, quae de eo praedicata est ? Ipsum audite et vivetis. Quicunque ergo aliam vocem audit, morte morietur. Aut num pactum aliquod inter se inierunt, ut uno tempore iste loqueretur : « Ego sum a principio et usque in finem, nec est alius, nec me prior, nec me posterior », et alio tempore alter diceret : « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite » ?

Et dum descendebant de monte, praeceptum dedit eis, et dixit: Cavete, ne cui dicatis visionem hanc, quam vidistis. Cur?

1. Cf. Deut. 34, 6.

Quia sciebat, quod non crederent illis, sed amentes eos haberent et dicerent: Num vos forsitan scitis, unde Elias venit? et ecce Moyses sepultus est, et nemo sepulturae ejus astitit; et inde blasphemia et scandalum oriretur. Dicit potius alia vice: « Manete, donec accipietis virtutem [1] », quia tum, quando eis hoc narrabitis et non credent, ad eorum confusionem et ad gloriam vestram mortuos suscitabitis. Et rursus: Quieti, ait, estote, donec sepulcra aperientur et justi novi et veteris foederis egredientur et venient in Ierusalem, civitatem regis magni [2], post haec credent, eum qui hos ad vitam revocavit, etiam Moysen suscitasse [3]. Multi justi ad vocem Domini ex inferis venerunt, pro uno multi ascenderunt. Et si mortui eum audientes venerunt, quanto magis Elias vivens? Exitu ergo justorum ex sepulcro discant, quomodo res se haberet de Moyse et Elia. Propterea dixit: « Nemini dicatis, donec filius hominis a mortuis resurgat ».

Ne dicerent, Dominum fraudibus discipulos suos in errorem induxisse, isti circumeuntes praedicarunt, Moysen et Eliam cum eo loquutum esse. Moyses legem in monte accepit, et Elias venit, ut legem zelo suo vindicaret, ut scriptum est: « Ambulastis vos mecum perverse [4] ». Porro, quia ambo nihil possederunt, ideo ambo dilecti simul apparuerunt ei qui utrumque aequaliter amabat. Immo et Deus nomina eorum invicem aequalia fecit dicens: Mementote legis Moysi, ser-

1. Cf. Act. Ap., 1, 4.
2. Cf. Math. 5, 35.
3. Sententia, quae haec verba in textu impresso et utroque codice sequitur, ad verbum ita se habet: « Et videbimus, ajunt, si forsitan ex Galilaea, et descendere facit eos ». Quae forsitan ita explicanda sunt: Dicent irrisores Apostolis: Videamus, num Christus ex Galilaea venit et de coelis deducet Moysen et Eliam. Sed multo probabilius mihi videtur, haec verba, quae contextum perturbant, h. l. falso intrusa esse, quam ob causam in versione ea omisi. Aucher habet: « Et videamus, dicunt, an Elias venit et deducit istos ». In margine autem adnotat, pro Elia scriptum esse « Galilaeam ».
4. Unde haec verba sumpta sint, nescio.

vi mei [1] », et in alio loco : « Ecce mitto vobis Eliam prophetam [2] ». Et quod post sex dies eos assumpsit et in montem duxit, sex millia annorum mystice designat.

Cur autem non omnes discipulos secum sumpsit? Quia inter eos erat Iudas a regno alienus, qui indignus erat, ut illuc duceretur, eumque solum relinqui non oportebat, quia propter electionem ejus qui eum ad hoc munus vocaverat, hominibus perfectus videbatur. Dominus autem eum elegerat, quum furta ejus nondum nota essent. Si enim ejus injustitia nota fuisset, discipuli socii ejus exinde eam novissent. Dominus autem scivit, ipsum fore traditorem, et cum dixisset : « Unus ex vobis me traditurus est [3] », et illi dicere coepissent : « Ecce hic est », tunc eum a reliquis sociis separavit. Sed cur eum elegit, aut cur eum odio habuit? immo cur et oeconomum et saeculi portatorem eum fecit? Primo, ut perfectam suam charitatem et gratiam misericordiae suae ostenderet ; dein, ut ecclesiam suam doceret, licet in ea dentur falsi praeceptores, tamen cathedram esse veram ; non enim cathedra Iudae traditoris vacua mansit ; denique, ut doceret, licet dentur iniqui procuratores, tamen oeconomiae suae veram esse administrationem. Dominus itaque lavit pedes Iudae, sed qui lotus surrexit, iisdem pedibus ad occisores ejus abiit. Dominus occulatus est eum qui in osculo signum mortis eum comprehendentibus dederat, et porrexit panem illi manui, quae porrecta pretium ejus accepit eumque vendidit, ut occideretur.

Non oportet prophetam perire extra Ierosolymam (Luc. 13, 33), quod convenit illi dicto : « Nequaquam tu poteris ubivis immolare sacrificium tuum paschale, sed tantum in eo loco, quem sibi elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi habitet nomen ejus [4] » ; sicuti et Apostolus testatur : « Pascha nostrum

1. Cf. Iosue, 1, 13.
2. Malach. 4, 5.
3. Math. 26, 21.
4. Deut. 12, 6, 7.

immolatus est Christus [1] », ut doceret, typum esse in Israel et veritatem per Iesum.

O generatio mala, perversa et incredula (Math. 17, 16). Quod ideo dicit, quia pater pueri ipsius discipulos reprehenderat dicens : Non potuerunt sanare eum ; credebat enim, eos artis magistri sui nondum plane peritos esse. Venit ergo magister et sumpsit discipulos eosque quasi in mediis fluctibus constituit. Accesserunt igitur, ut ab eo discerent : Cur non potuimus sanare? Impediebatur autem sanatio discipulorum propter blasphematores et infideles. « Hic, ajunt, per Belzebub principem daemonum ejicit daemones [2] ». Dixerunt ad hunc virum [3] : Hi discipuli ejus in arte ejus non sunt perfecte instructi, qua enim alia ex causa non sanarunt eum ? Propterea respondit : « O generatio perversa ! » Et ideo statim septuaginta duos elegit et procul a se misit, qui eos mirabiliter sanarunt, ut de falsa sua opinione convincerentur.

Quamdiu apud vos ero? Quando enim eum occident, videbunt nomen ejus faciens miracula et signa. Quoniam autem non ex peritia artis operabatur, dixit illi viro [4] : Credenti sunt omnia possibilia ; et illis : Propter incredulitatem vestram. Et ut animum depressum discipulorum suorum elevaret, ait : Tibi dico, immunde, surde et mute, ut doceret, sibi tanquam Deo omnia esse facilia. Sed quare hic immundus et mutus et surdus ei obedivit ? Quod factum est, non quasi hoc difficilius esset, quam homines ad fidem perducere, sed ut paulum blasphematores arceret, ne discipulis suis illuderent [5]. Usque ad illud tempus etiam discipuli ejus non-

1. I Cor. 5, 7.
2. Luc. 11, 15.
3. In cod. B : Dixit hic vir.
4. Ita in cod. B. Textus impressus et codicis A sic verti potest : Quae sit ars sua, dicit illi viro, etc.
5. Haec sententia ex cod. B emendata est ; in cod. A non est sensus sanus.

dum firmiter crediderunt in eum [1]. Quod dixit: Exi, discede ab isto, et ne amplius ingredere in eum, de libertate daemonis testatur. Quia denuo ad eum redire voluit, ligavit eum dicens: « Amplius non poteris illuc redire [2] ».

Praeveniens Simoni dixit: « Reges terrae, a quo sumunt tributa, a filiis, an ab alienis? (Math. 17, 25). « Venerant enim, ut praetextum invenirent eum accusandi; non enim ab omnibus haec exigebant. Sed ita apud se dixerunt: Tu forsitan dices, magistrum tributum non dare [3], et sic rebellem eum habebimus; si vero dabit, exinde tamquam alienus censebitur. Licet enim et Levitae alieni censerentur, tamen quia Dominus haereditas eorum erat, quasi filii erant et nemo aliquid ab eis exigebat; nam rex Iudaeorum a sacerdotibus tributum non sumpsit. Dominus itaque Simoni [4] declaravit: Scribae et Pharisaei praetextum a te, o Simon, quaerentes venerunt, ut nos tentarent. Non enim illi sacerdotibus eum aequiparabant. At Dominus causam ipsum accusandi, quam quaerebant, eis non praebuit et effecit, ut hoc tributum exigentes manifestum redderent, ipsum omnibus hominibus disparem esse. Simul Simonem docuit, Levitas non dare, quia immunes sunt hujus tributi [5].

Ut eis scandalum non des, i. e. ne Pharisaeos contemnant et perdant, quando notum facies, causam litis eos contexere velle [6]. Et addidit: Vade ad mare et mitte ibi rete. Quia me putarunt alienum, doceat eos mare, me non solum sacerdotem esse, sed et regem. Vade ergo, et tu quoque da quasi unus ex alienis. Quum itaque Simon annueret se dare, et sumpto reti iret, ut id mitteret in mare, illi quoque

1. Cf. Ioann. 7, 3-5. Contextus sermonis hic est: Dominus ab irrisione blasphematorum discipulos suos defendere debuit, quia nondum perfectam habebant fidem.
2. Marc. 9, 24.
3. Sententia ex cod. B correcta.
4. Haec vox in solo cod. B est.
5. In cod. B: « quia pauperes sunt ».
6. Locus ex cod. B emendatus.

cum eo abierunt. Et quum eduxisset piscem, qui staterem, dominii symbolum, in ore habebat, illi superbi correpti et confusi sunt, quia non crediderunt, eum esse Levitam, cui mare et pisces testes erant, quod rex est et sacerdos. Adventum igitur hujus summi Pontificis omnes res creatae agnoverunt, et omnes res accurrerunt, ut ei modo suo tributa afferrent. Superi salutem ei miserunt per Gabrielem, et virtutes coelorum per stellam; gentes mandarunt Magos, et Prophetae, tum jamdudum tacentes, ablegarunt Scribas dicentes: « Ex oppido Bethlehem oriturus est ». Stater, qui cudebatur in gutture piscis et imaginem regis in illis aquis accipiebat, contentiones et offensiones quaerentibus argumento fuit, quod et obedientia maris ad istum alienum conversa est.

Venerunt et accesserunt, ut eum interrogarent : Licetne alicui dimittere uxorem suam? (Matth. 19, 3-9). Respondit eis et dixit: « Non licet ». Dicunt ei: « Moyses permisit nobis; cur ergo non licet? » Moyses, ait, propter duritiam cordis vestri permisit vobis, sed ab initio creationis hoc non fuit. Itaque ex hoc uno praecepto patet, quod ea quae propter duritiam cordis populi per Moysen constituta sunt, abrogari oportebat, quia populus cordis duri permutatus est cum populo, qui fidem Abrahame amabat. Nam quod dixit: « Non occides, non adulterabis, etc. », etiam ante legem observabatur. In lege haec praedicabantur, sed per Evangelium perficiebantur. Omnia enim mandata legis, quae certis ex causis eis datae et apud eos introductae sunt, cessarunt, non ac si antiquum destrueretur, sed ut novum confirmaretur.

Decem drachmae et centum oves (Luc. 15, 4). A perfectione justitiae aberravit, qui peccando erravit. Iis nimirum, qui sub lege erant, fecit hanc comparationem. Aut a justitia naturae aberravit, qui peccando erravit [1]. Aut imaginem Adami comparavit

1. S. auctor h. l. docet, per ovem perditam designari vel

drachmae. Cur autem gaudium est de peccatoribus, qui poenitentiam agunt, magis quam de justis, qui non peccarunt? Quia gaudium esse solet post tristitiam. Quoniam ergo tristitia est iis qui peccarunt, gaudium fiat, quando agunt poenitentiam. Gaudere, ait, oportebat, quia frater tuus mortuus erat, et vivit, et ad vitam revocatus est etc. At tum gaudium, tum tristitia affectus sunt animae; quomodo ergo in coelis contristantur et gaudent? Sed quod propter peccata damnati sunt, « tristitia in coelis » vocatur, ut nos dolore afficiamur. Si enim angelos nostra peccata contristant, quanto magis nos ipsos eorum poenitere oportet? Hujusmodi est illud, quod dicit: « Doleo fecisse hominem [1] ».

Sequitur alia parabola de duobus filiis fratribus. Et cum dissipasset filius junior bona sua (Luc. 15, 14). Doctrina, his verbis proposita, haec est, quod de eo qui toto corde ad meliorem frugem convertitur, gaudium est in coelo etc.

Alia profertur parabola de villico (Luc. 16, 1-9), quem servi apud Dominum accusarunt. Mirum, quod injusta prudentia villici peccatoris laudata sit ante Dominum; nam peccatis thesauros priores dissipavit, et injustitia et dolo debita postea contracta remisit. Verumtamen iste laudatus est, quia per id quod suum non erat, lucratus est et acquisivit aliquid, quod ipsius futurum erat, i. e. amicos et nutritores. Sed Adam sibi per suum acquisivit aliquid, quod suum non erat i. e. spinas cum doloribus. Emite vobis, ait [2], o filii Adami, per haec transitoria, quae non sunt vestra, id quod vestrum est, quod non transit.

Quoties, si in me peccat frater meus, dimittam ei? Usque ad septies, satisne est? Dicit ei: Usque septuagies septies

Iudaeum, a perfecta justitia, quam lex exegit, aberrantem, vel gentilem, justitiam legis naturalis deserentem.

1. Gen. 6, 7.
2. Quid insertum « ait » significet, ignoro.

septies (Matth. 18, 21). Sed [1] unum tantum diem Petrus irae concedat, ne ira per paucum super multum dominetur [2]. Ira enim et amicis ejus [3] et inimicis noxia est, et ab ea accensa ardent cuncta mala tanquam ex malo thesauro atque per suam audaciam proterve fines transgreditur, ut integro diei dominetur. Ideo Medicus praevertens obstruxit viam et integrum diem reconciliationi ejus submisit, dicens : « Usque ad septuagies septies septies ». Quoniam Petrus existimavit, modum dari misericordiae et numerum gratiarum, et illum numerum dies et horas suas habere, Dominus eum arguit et correxit, quia numerum remissionis numero transgressionum superiorem posuit. Ecquis enim toties in die peccabit ? Ne autem Petrus convictus ex hac parte Dominum vinceret accusando, quod per spem istarum remissionum nobis causa fieret peccatorum, consideretur, diem mox finitum esse et ad finem properare ; descendens enim sol diei finem imponit, et omne testimonium solvit [4].

Itaque lux nostra invisibilis nos monuit, ut, dum lux visibilis perduret, ab ira convertamur, ne testis ille lux in fine, et sol in exitu vitae contra nos surgat. Quia libertas nostra ab omni impulsione externa concipit et saepe saepius subito ad transgressiones movetur et parit et fructum producit semini, quod suscepit, aequalem ; ideo Apostolus dicit : « Sol super iram vestram ne occidat, et ne detis locum diabolo [5] », quasi diceret : Ad maturitatem venturum est, quod diabolus

1. Sequens explicatio non intelligitur, nisi locus similis apud Luc. 17, 4 comparetur : « Et si septies « in die » peccaverit in te, et si septies « in die » conversus fuerit ad te dicens : Poenitet me, dimitte illi ».

2. Ad verbum haec Aucher ita vertit : Solummodo unum diem concedat ei, ne regnet ille per paucum super multum.

3. Hominis irati ? vel, Petri ?

4. Sensus est : Christus monens, tempus, quo veniam impetrare possimus, breve et incertum esse, simul cavit, ne propter spem facilis veniae peccemus. — Aucher habet : Quoniam in consumendo erat et in consummatione (vitae) ; descendente enim sole perficitur dies et solvit testimonium.

5. Ephes. 4, 26.

in nos seminavit; at semina, donec tenera sint, eruamus et antequam fructum fecerint, evellamus. Non enim subito peragitur homicidium, sed praecedit aemulatio, quia inimicus sine suis armis opus perficere nequit.

Sicut in omnibus indigentiis gregi suo Christus consuluit, ita et vitam solitariam agentes in hac tristi conditione consolatus est dicens: Ubi unus est, ibi et ego sum [1], ne quisquam ex solitariis contristaretur, quia ipse est gaudium nostrum et ipse nobiscum est. Et ubi duo sunt, ibi et ego ero (Math. 18, 20), quia misericordia et gratia ejus nobis obumbrat. Et quando tres sumus, quasi in ecclesiam coimus, quae est corpus Christi perfectum et imago ejus expressa. Quod dicit: Angeli eorum in coelis vident faciem Patris mei (Math. 18, 10), i. e. orationes eorum.

Et factum est, ut venientes ei narrarent de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum, scilicet in festivitate regni Herodis, quo tempore gladio amputavit caput Ioannis. Nimirum quia Ioannes injuste et contra legem occisus est, Pilatus exercitum collegit et mittens perdidit omnes, qui simul aderant in illo convivio. Et quia Herodes aliud facere nequibat, propter ignominiam ipsi illatam occidit omnes praefectos [2] exercitus Pilati, eique iratus est usque ad diem judicii Domini, qui causa erat reconciliationis eorum. « Pilatus miscuit sanguinem eorum cum sacrificiis eorum », quia illi arcebantur a potestate Romanorum, ne holocausta et sacrificia possent offerre. Novit Pilatus, eos legem transgressos esse et holocausta et sacrificia obtulisse, quare in illo loco eo tempore eos occidit; ideo: Miscuit sanguinem eorum cum eorum sacrificiis (Luc. 13, 1). Aut Christum tentatum venerunt, ut illi, qui

1. Haec verba ex loco apud Math. 18, 20, qui mox citatur, deducta esse existimo.

2. Ad verbum vertit Aucher: « tacticos », quod est Graecum τάκτικος.

censum exigebant. Voluerunt enim comperire, utrum strages eorum propter ipsorum sacrificia ei placeret, sicque contra legem et cum gentilibus esset, an sacrificium defenderet, quo casu eum apud Pilatum accusaturi erant, quod imperio Romanorum adversaretur.

Alia parabola: Homo quidam plantaverat in vinea sua ficum et dicit ad colonum (Luc. 13, 6). Colonus hic erat lex; ad legem enim respexit [1]. Hi tres anni sunt, quod venio quaerere fructus ex hac ficu, quod propter tres captivitates dixit, quibus Israelitae captivi ducti et castigati, non autem emendati sunt, « quia frustra, ait, percussi filios vestros et disciplinam non susceperunt [2] ». Et ut monstraret, quod et deinceps in eam longanimis erat, postquam jam dictum est colono: « Succide eam », respondit colonus et dixit ei: Dimitte eam et hoc anno. Annuit Dominus, se fore longanimem erga eos, quod est tempus septuaginta hebdomadum. Tempore enim reditus eorum consummati erant eis illi tres anni [3], et eodem modo unus annus dicitur de tempore, quod adventum Christi praecessit, quia per sententiam hujus anni sors eorum decisa est. Fructus fidei in eis quaerebatur, nec reperiebatur, quod daretur. Quo loco impletum est dictum: « Quaesivi ex eis virum restauratorem ruinae et non est inventus in eis [4] ».

Tres anni tempus est [5], quo eis ostendit, se esse Salvatorem. Et quod voluit ficulneam eradicare, hoc opus illi priori simile est, quando Pater ad Moysen dixit: « Dimitte me eos delere a facie mea », quibus

1. Sic in cod. B haec et praecedens sententia se habent. Aucher haec ex textu impresso ita transfert: « Hoc est, lex legis faciem sumpsit ».

2. Jer. 2, 30.

3. S. auctor h. l. explicat tres annos tempus usque ad reditum ex captivitate Babylonica, et unum annum, ut et septuaginta hebdomades Danielis, tempus dicit ab illo reditu usque adventum Christi.

4. Ezech. 22, 30.

5. His verbis alia hujus loci explicatio incipit.

verbis ei occasionem dedit, ut ipsum deprecaretur[1]. Similiter et hoc loco colono indicavit, se ficulneam esse eradicaturum et deinceps colonus deprecationem suam protulit et Dominus misericors clementiam suam monstravit. Si ex illo anno non fecerit fructus, a colono eradicabitur. Non qua vindex excidit ficulneam, sicuti Moyses, qui postquam oravit et auditus est, dixit: « Prope est dies perditionis eorum et advenit id quod in eos venturum est [2] ». Si prava erant onera Scribarum, tamen verba eorum non erant gravia, et si immunda erant verba eorum, sancti tamen erant digiti eorum per unum digitum [3], ut et colonus de ficu existimavit, propter quem etiam dominus vineae dilationem indulsit. Dominus quum coram colono se humiliavit, qui bonam indolem ficulneae eum docere voluit, tentans id fecit, nam dominus hanc jam prius cognovit. Quod autem venit et per triennium fructus quaesivit, fecit, ut scientiam coloni probaret. Non dicimus, quod isti homines zizania sint, nam Deus potest eos eligere, nec quod alii sanctum semen sint, quia et potest eos conterere [4].

Non ascendo in festo hoc (Ioan. 7, 1-21), i. e. ad crucem. Non dixit: Non ascendo ad festum hoc, sed in festo hoc. Non enim fratres ejus crediderunt in eum. Dicunt ad eum: Nemo est, qui clam aliquid operatur etc. Quoniam eum tradere voluerunt, propterea eos fefellit dicens: « Non ascendo ». Et ut manifestum fieret, quod eum tradere et occidere volebant, ideo abscondite ad festum hoc ascendit.

Cur quaeritis me occidere? Tres nempe ordines [5] sunt Domini nostri: primus, divinitatis solius, secundus, divinitatis et humanitatis per mixtio-

1. Exod. 30, 10; et Deut. 9, 13.
2. Deut. 32, 35.
3. Cf. Math. 23, 3-4, et Luc. 11, 46.
4. Contra eos haereticos haec dicta videntur, qui alios homines natura malos, alios natura bonos dixerunt.
5. Ordo h. l. clare significat loquendi rationem et praedicata, quae de Domino nostro in Scriptura habentur.

nem, tertius, humanitatis solius. « In principio erat Verbum et Deus », ordo divinitatis est. Et: « Nemo est, ait, qui ascendit in coelum, nisi qui et descendit de coelo, filius hominis [1], hic est ordo conjunctionis. Et quod dicit: Cur quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem dico, ordo est humanitatis.

## CAPUT XV.

Ad judicem dives venit (Math. 19, 16-30), donis dulcis linguae eum capturus, et judex ostendit, in suo judicio dona non accipi et personas non respici. Cur vocas me bonum, quum in eo quod a me discere vis, justus sim? Erga mulierem peccatricem justus Dominus bonus fuit, quia haec ad eum tanquam condonantem venerat, ille vero eum tanquam legislatorem adiit, qui misericordiam et clementiam suam cohibuit, quando legem dabat dicens: « Quicunque occidit, moriatur ». Quid faciam, ut vivam? Duritiam justitiae suae judex ostendit. Sed cum observator legis monstrasset, se legem diligenter servasse, tunc legislator de eo gavisus est et exultavit, quo significavit, illas priores adulationes nihil prodesse, hanc autem observationem legis juvare. Si vis, ait, ad vitam aeternam intrare, observa mandata. Adulatores ex acceptatione personarum multos sciunt appelare bonos; verum Filius unum scit bonum, qui ita bonus est, ut a nullo alio bonum facere didicerit. Eodem enim nomine, quo dives per adulationem honoravit Filium, Filius in veritate Patrem honoravit, non ut ipsi placeret, sed ut de eo testaretur.

Rursus ille dives bonum eum vocavit, ut hoc nomen quasi mutuo ei daret, sicut homines sociis suis grata nomina dare solent. Dominus ab eo quod ei homo

1. Ioan. 3, 13.

dabat, fugit, ut ostenderet, se a Patre suo bonitatem habere sua natura et generatione, non autem mero nomine. « Unus tantum, ait, est bonus », ast post haec non tacuit, sed adjecit « Pater », ut doceret, Patri esse filium bonum ipsi similem. Dives Dominum magistrum bonum vocaverat, sicut unum ex bonis magistris. Cui respondit : « Non est aliquis bonus, ut tu putasti, nisi tantum unus Deus Pater ». « Deus » dixit, ut declararet, de quo loqueretur ; et « Pater » addidit, ut doceret, Deum non posse vocari Patrem, nisi propter Filium. Et quia plures deos facturi erant in coelis, ideo : Nemo, ait, bonus, nisi tantum unus, Pater, qui in coelis. Non forsitan Deus et Deus, sed Deus ex Deo, et bonus ex bono. Deus est Christus, quia dicit « Pater ». Etenim si de bona arbore audis, statim testimonium bonitatis etiam in fructum ejus extenditur. Quia hic Legisperitus venerat, ut quasi ex lege erudiretur, Christus etiam quasi ex lege responsum dedit : « Ego sum et non est alius praeter me [1] ». Similiter et in isto loco : « Non est bonus, nisi tantum unus », et utrumque unum est, quemadmodum quod dixit : Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est [2].

Porro hic vir divitiis affluebat juxta benedictiones legis et in terrestri opulentia sua, quam lex promisit, confidebat et venit sperans, ut a Domino de divitiis et operibus suis testimonium acciperet. Interrogavit Dominum de lege, in animo habens, ut postea consequenter illum interrogaret, num ei qui observaret legem, jam in hac terra retributio esset. Et Dominus de observationibus legis paululum remisit [3], donec ille veniret et diceret : Quid adhuc mihi deest ? Quumque ille speraret, Dominum nunc ei esse replicaturum residua, quibus perfectus erat, ut et Paulus [4], Do-

1. Deut. 32, 39.
2. Deut. 6, 4.
3. I. e. Non omnia mandata legis Dominus enumeravit.
4. I. e. Apostolus Paulus, qui ante conversionem justitiaam legalem perfectam habuit.

minus non id allegavit, quod ille audire volebat, sed id quod nolebat, nec ei in mentem quidem venerat, ut audiret. Dominus itaque veritatem legis ei exposuit et adjunxit sigillum ciborum solidorum. « Vade, ait, terrestres divitias in coelo depone et sic in eis fiduciam habebis, quia tibi reservatae sunt ». Quantumlibet in terra tibi est, male in eo speras. « Ubi thesaurus tuus est, ibi est et cor tuum [1] », et non in terra. Pro lacte igitur et melle, quae parvulis dabantur, clavi et crux sunt perfectis.

Videns Dominus, totum cor ejus jam pridem in hac terra sepultum esse, primo eum in admirationem duxit, pulverem [2] terrae ab eo excussit et mentem ejus ad coelum currere fecit. Non est bonus, ait, nisi tantum unus, qui est in coelis. Pro terra coelum ei ostendit et pro patribus suis unum Patrem. Si bonus, ait, unus est, isque in coelis habitat [3], exalta cor tuum a terra in coelum ad illum bonum, quem tu amas. Sed cum ille abiisset, dixit Dominus : Quam difficile est eis qui in possessionibus confidunt, quia confidunt, lucrum et quaestum hac de re decernere [4]. Praeterea difficile est eis, quia per crucem intrabunt in regnum coelorum [5]. Mihi, ait, tuo judici nisi opera ostendes, vitam non accipis. Aliud adhuc, ait, tibi opus est. Defectum ergo veteris explevit novum, quare dixerat : « Veni adimplere ea [6] ». Verum si lex benedicit dicens : « Possidebitis et divites eritis », tu vero nos a possessionibus depellis dicens : « Alio adhuc tibi opus est », haec tua perfectio defectus est legis.

Attamen scias, qui dat possessionem, et qui eam conservat, ne furto auferatur, hos unum esse. Unus

1. Math. 6, 21.
2. Sic in cod. B.
3. Locus hic ex cod. B emendatus est. In cod. A lacuna est.
4. Sensus est : Divitum animis quasi insertum est, se omnia, atque adeo regnum Dei, divitiis consequi posse, quare difficile est, ejusmodi homines terrena sapientes in regnum Dei intrare.
5. « Coelorum » in solo cod. B est.
6. Math. 5, 17.

dedit divitias in terra, et alter quoque praeparavit domum thesaurorum in coelis. Lex igitur dedit bona terrae et Dominus bona in excelsis i. e. unusquisque ex suis donis. Porro bona terrestria possidere possunt ii qui haeredes eorum occidunt, econtra bona superna possident ii qui occiduntur. Deus patribus [1] divitias dedit, quibus Iudaeos exhortabatur, ut patres imitarentur et a patribus instructi pauperes nutrire discerent. At filii ad divitias patrum, non autem ad justitiam eorum respexerunt; gentes vero respexerunt ad justitiam et non ad divitias illorum. Considera, Dominum ei dixisse: Hoc facies et vives. Quomodo difficile est hoc? Difficile tantum est talibus per portam perfectorum et crucem portantium [2] intrare in regnum coelorum. Ut porta datur in statu virginitatis degentium, ita et datur porta in mundo degentium, et in mundo degentes per suam portam in regnum possunt intrare, sed per portam virginum difficile est eis intrare. Quod Dominus affirmavit dicens: « Difficile est », non autem: « Impossibile est ».

Pharisaei occasionem captantes occasionem voluerunt invenire et unus ex eis venit, ut tentaret Dominum et videret, utrum perfectio, quam docuit, legem solveret. Dominus os hujus tentatoris statim compescuit dicens: Non est bonus, nisi unus, et dein: Scisne mandata. Quibus verbis primo rejecit Deum alienum, ne amplius nominaretur, et docuit, mandata vivifica ante ipsum fuisse; secundo monstravit, illos posse salvari, et tertio, quia amans eum intuitus est, ostendit, quantopere ipsi cari essent ii qui mandata priora plane observarunt. Adjungens autem: Aliud adhuc tibi opus est, declaravit, adventum suum non futilem et inanem fuisse. Praeterea defectus plenitudinis in priori lege deum alienum non prodit. Si Pharisaeus mentitus esset dicens: Hoc feci, quis eum impediret, quominus diceret: « Hoc quo-

1. Sic h. l. Patriarchae appellantur.
2. Ad verbum: Crucifixorum.

que facio? » Homo enim mendax a nullo mendacio abhorret. Attamen etsi eum non puderet dicere: « Hoc facio », nonne saltem vereretur eos qui sciebant, eum hoc non fecisse?

Porro eum contristatum, et non ficte, sed vere contristatum esse, ex eo patet, quia Dominus vidit, eum esse contristatum. Si enim mentitus esset, non esset contristatus, quia, si res ita se haberet, nec servandis mandatis paratus fuisset. At qua homo se ipsum perfectum existimans ad Dominum accessit, ut hic laudem ejus manifestam faceret. Conspicatus autem, sibi aliquid deesse, contristatus est, videns, laudem suam praetermissam esse, quia justitiam suam juxta gloriationem legis fecit et propter illam bona jam accepit. Amans autem eum intuitus est, ut doceret, quam cari essent ei illi, qui ad perfectionem accurrunt. Qui enim amat, ei qui infra se est, servit, illi autem, qui supra se est, obedit [1]. Amavit eum, ut doceret, quam dilectus esset is qui ad superiorem gradum tendit.

Quod ille dixit: Magister bone, quasi munusculum praemisit; primum enim Dominum donis corrumpere tentavit. Sed Dominus occasionem acceptationis personarum rejecit, ut doceret, id quod justum est, nos dicere et audire oportere. Et amans eum intuitus est, ut forsitan ita alliceretur et accederet ad perfectionem, quae a Domino instituta erat et tunc ei reipsa proponebatur. Sed quia ejus justitia secundum legem erat, in qua homines propter spem bonorum terrestrium justa operabantur, in opibus suis sperabat, quasi merces essent justitiae suae. Ideo: « Difficile est » divitibus et eis qui sperant in ejusmodi rebus, quia putant, ea quae possident, mercedem et retributionem laborum suorum esse. Non enim divitias suas relinquere possunt, qui existimant, eas mercedem esse suae justitiae. Porro ne diceret: « Iam ab initio cum in-

1. Difficillimam hanc sententiam Aucher sic vertit: « Id autem asserit, quod sequitur, verum concordat cum praemissis ».

dignatione occurrit mihi et propterea sub praetextu quodam me rejecit », ideo dicit : Unus tantum est bonus. Quod si ita se habet, nonne et ipse est bonus, quum filius Boni dicatur ? Quare etiam in amore eum intuitus est, ut palam faceret, quod hic dives ipse se reprobasset. « Ille quoque dives erat [1] », qui induebatur purpura. Ex eo quod hic dicit : « Mi pater Abraham », et iterum : « Illic sunt, « Moyses et prophetae », clare consequitur, eum Israelitam fuisse.

Non est bonus, nisi tantum unus. Et tu, Domine, nonne es bonus ? Unus tantum, ait, est bonus, Pater, qui in coelis est. Et adventus tuus nonne erat adventus bonitatis ? « Sed ego, ait, non a me ipso veni [2] ». Et opera tua nonne sunt bona ? « Pater meus, ait, qui est in me, ipse operatur haec opera [3] ». Et nova tua praedicatio nonne praedicatio est bonitatis ? « Is qui misit me, ait, ipse dedit mihi mandatum, quid loquar et quid dicam [4] ». Si adventus tuus et verba tua et operatio tua a Patre sunt, nonne bonus es tu a bono ? Sed et propheta de Spiritu dixit : Spiritus tuus bonus deducet me etc. [5]. Diviti igitur abeunti Dominus ansam non praebuerat, ex qua recederet, ut recessio ejus vituperabilis fieret. Dominus mandatum novum daturus legem confirmavit et Dominum legis honoravit, ne ille dives diceret, Christum utrique [6] adversari et novam doctrinam de Deo peregrino introducere. Clare enim quia ostendit, paupertatem jam ante ipsum acceptam fuisse, « angeli tulerunt eum in sinum Abrahame [7] ».

Quid vocas me bonum ? His verbis exemplum proposuit suae humilitatis, ut Patrem honoraret, quum aliis locis se ipsum bonum appellasset, dicens :

1. In textu « est ». Confer Luc. 16, 19-31.
2. Ioan. 7, 28.
3. Ioan. 14, 10.
4. Ioan. 12, 49.
5. Ps. 142, 10.
6. Scilicet legi et Domino legis.
7. Luc. 16, 22.

« Oculus tuus malus est, sed ego liberalis sum [1] », et iterum : « Pastor bonus dat animam suam pro grege suo [2] ». Dicendo autem : « Quid me vocas bonum », opinionem ejus qui interrogaverat, suo responso refutavit, quia iste putabat, Christum de hac terra et sicut unum ex magistris Israelitarum esse.

Itaque quia dives Christum hominem habuit simulque appellavit bonum ut Deum, ideo : « Quid me, ait, vocas bonum ? i. e. si revera ita tibi videtur, me superne venisse et filium esse Boni, recte me vocas bonum ; verum si ex hac terra sum, ut tu existimas, male me vocas bonum. Quod si Christum appellasset Deum bonum et Christus huic nomini renunciasset, forsitan ejus verbum stare posset [3]. Attamen appellavit eum magistrum, non autem Deum. Et quomodo renunciavit huic nomini is qui de se ipso dixit : « Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis [4] » ? Et omnes magistri, qui doctrinam sanctam tradiderunt, et omnes justi et probi vocantur boni. « Bona facit, ait, Dominus bonis [5] ». Porro : « Qui seminavit semen frumenti sancti, ipse est filius hominis et semen bonorum filii sunt regni [6] ». Quomodo semen potest esse bonum, et qui id seminat, malus ? Vel quomodo renunciavit appellationi boni, et simul aliis in locis divinae dominationis et adorationis participem se ipse fecit ? Omne [7] malum per dominandi cupiditatem in genus humanum intrare ausum est ; quare Dominus superbiam ante Deum immundam declaravit, quoniam immundum facit hominem ante Deum. Humilitatem autem omnibus hominibus quasi frenum dedit, quia in humilitate voluntati et legi superiorum suorum obedivit.

Mors divitis et Lazari (Luc. 16, 19) similis

1. Math. 20, 15.
2. Ioan. 10, 11.
3. Ad verbum : « Forsitan locus esset verbo ejus, » scilicet Christi, huic nomini renunciantis.
4. Ioan. 10, 11.
5. Psalm. 124, 4.
6. Math. 13, 37-38.
7. In cod. B est ℔ ℔ :

erat, sed dissimilis retributio post mortem Lazari. Ad quem olim ne servi quidem accedere voluerunt, is super brachia angelorum glorificabatur. Quia dives in domo sua locum ei non dedit, sinus Abrahame erat locus quietis ejus. Divitis duplex erat supplicium, primum, quia ipse cruciabatur, dein, quia Lazarum in laetitia videbat. Dominus sacerdotes populi comparavit cum divite purpura induto, quo nemo erat nobilior; discipulos vero crucis [1] comparavit Lazaro, quo nemo erat miserabilior. Nomen amicorum suorum per Lazarum, amicum suum dilectum, designavit et nomen inimicorum suorum voluit indicare, cum diceret: Si Moysen et Prophetas non audiunt etc. Non ergo illi, qui vivunt, vivi sunt, nec illi, qui sepulti, mortui sunt.

Considera itaque: Quantopere ille dives deliciis demollitus erat, tantopere postea misere humiliatus est, et quo magis Lazarus miser et pauper fuit, eo major et ejus corona fuit. At cur solum Abrahamum, non autem ceteros justos vidit, et Lazarum in sinu ejus? Ideo, quia Abraham beneficus erat erga paupere s, idcirco ipsum vidit, ut nos doceret, non esse nobis sperandam remissionem in fine, nisi fructus remissionis in nobis appareat. Si enim Abraham, qui amicus erat peregrinorum et in Sodomitas misericordiam exhibuit, non potuit ejus misereri, quem de Lazaro non miserebat, quomodo nos remissionem sperare poterimus? Etsi enim ille dives Abrahamum patrem suum vocaret et Abraham eum « fili mi » alloqueretur, tamen hic cum non poterat juvare. Memento, ait, fili mi, quod accepisti bona tua in vita tua et Lazarus cruciatus suos.

De mercenariis, quos conduxerat dominus vineae [2] hora tertia et sexta et nona (Matth. 20, 1-18). Quum novissimis dare coepisset, primi existimarunt, quod plus essent accepturi, ille

1. Ita in cod. B. In cod. A « in cruce ».
2. Nimirum in cod. B est տէր այգւոյն։

vero eos ceteris aequales fecit. Quibus murmurantibus dixit: Si ego liberalis sum, oculus vester cur malus est? Et illis, ait, gratia collata est, et hi[1] hilari facie de sua mercede conclamarunt. Sed attende, quomodo haec dicta sint. Quum eos interrogasset: Cur tota die ad vesperam usque otiosi statis? dixerunt ei: Nemo venit et nos conduxit. Illi ergo parati erant, nemo enim eos conduxit. Nam qui ideo dormit, quia nemo eum suscitavit, et postea vadit, manifestus fit, sicut et is qui ex pigritia dormit; et discrimen est, quia alter propter opus suum gratiam habet ei qui ipsum suscitat, alter vero propter suam pigritiam suscitatoribus suis offensiones reddit. Liquet ergo, otium pigri pejus esse, quam industrii.

Industrios, qui, quoniam labor et laboris procurator deerant, impediti erant et otiosi stabant, vox conduxit, et verbum suscitavit. Hi propter sensum suum industrium nec de mercede cum eo tractabant, quemadmodum illi primi[2]. Ponderavit laborem eorum in scientia et in mercede eos fecit aequales. Sed hanc parabolam in medium protulit, ne quis diceret: « Quia non vocatus sum ab infantia, etiam postea acceptus non sum ». Ostendit ergo, hominem, quacunque hora conversus fuerit, esse acceptum. Noluit autem prius primis dare, quia de sua mercede confidebant, sed, ne novissimi putarent, quod minus acciperent, ab ipsis exordium distributionis fecit.

Porro quod exiit mane, tertia et sexta et nona et undecima hora et ad solis occasum, intelligatur de initio praedicationis suae, quam usque ad crucem suam continuavit, quia undecima hora latro[3] in vineam, i. e. in paradisum introivit. Qui, ne hanc ob causam objurgaretur, promptum suum animum declaravit, quia, si

1. Scilicet primi; nam non omnes ex eis murmurabant.

2. De prioribus (v. 2.) dictum est: Conventione facta cum operariis ex denario diurno, et (v. 4.): Quod justum fuerit, dabo vobis, et (v. 5.): Fecit similiter. Ad novissimos (v. 8.) paterfamilias nihil aliud dixit nisi: Ite et vos in vineam meam.

3. Luc. 23, 43.

unquam eum conduxisset, etiam laborasset. « Nemo, ajunt, nos conduxit mercede ».

Si nos divinitati dederimus, quod ea multo est inferius, haec nobis dat, quod nobis multo est superius. Conducti sumus ad opus laboris secundum nostram virtutem, sed invitati sumus ad mercedem praemiorum, quae virtutem nostram excedit.

In fine autem mundi ad Dominum loquentur fideles in libertate, impii autem ex imposita eis necessitate, quia libertatem in hac vita, necessitatem in altera tum bonis, tum malis constituit; boni enim ibi non fient injusti, si vellent, et mali non justificati, si vellent. In opere vineae nec ejus misericordia vituperata, nec justitia reprehensa est. Ex justitia dedit, quod erat pactum, ex misericordia clemens fuit, uti voluit. Clare Dominus indicavit, se eam ob causam hanc parabolam dixisse. Aut non habeo potestatem, in domo mea faciendi, quae volo? Si hoc de judicio et de fine mundi valet, cur Dominus verba inseruit: Si oculus tuus malus est? Quis novissimis justis permittet vivere, ut illis prioribus, qui non laborarunt [1]? Porro inter eos qui primo mane conducti sunt, nonne erant pueri, qui mortui sunt? Ecce Abel primus puer mortuus est, num de eo murmurat Seth, qui locum illius explevit [2].

Quia Jacobus et Joannes Moysen et Eliam cum Domino viderant, desiderio inflammati dixerunt: Da nobis potestatem, ut sedeat unus a dextris

1. Sensus esse videtur: Quis justis in fine mundi degentibus permittet, ut vivant et in regnum coelorum intrent, sicut illi novissimi, qui hora undecima vocati sine labore in regnum intrarunt?

2. Sensus est: Si haec parabola de judicio extremo valeret, sub vocatis a mane usque ad vesperam intelligendi essent omnes homines, qui ab initio generis humani usque ad finem mundi ad regnum Dei vocantur et de his omnibus dictum esset, quod laboraverunt pro regno Dei et de Domino murmurarunt; sed Abel, qui mane vocatus est, puer occisus est, ideoque pro regno Dei non potuit laborare, et justus Seth, qui pro Abel parentibus a Deo datus est, certe de Deo non murmuravit.

tuis et alter a sinistris (Marc. 10, 35), ad similitudinem eorum qui in monte apparuerant. Volumus, ajunt, ut, quidquid petierimus nos, facias nobis. Respondit eis: « Faciam vobis », et non fecit. Quod dixit, non quia nescivit, quid peterent, sed quoniam scivit, eos esse tacituros, nisi eis promitteret: « Faciam vobis ». Ergo, ne preces in ore eorum contineret, haec dixit. Sed postquam hi et alii cogitata sua pandissent, omnes simul emendare exorsus est. Quos quum Dominus palam in conspectu sociorum eorum interrogasset et hi omnes contristati essent, preces eorum repudiavit, nec praestitit, quod petebant, ne inimicitia fieret inter eos. Vidit, eos imprudenter [1] rogasse, quum jam antea omnibus eorum precibus satisfecisset. Si enim non esset verax in prima sua promissione, nec verax esset in secunda, nec in tertia. Si autem verax erat, utique dedit. Simoni dedit, quod petiit, illis autem negavit, quia ille pro omnibus petierat dicens: « Quid ergo erit nobis [2] », et non: « mihi ». Quod si pro se solo petiisset, etiam huic negasset. Sed Simon pro omnibus communiter rogavit, et Dominus omnibus dedit et nullus de rogatione Simonis contristatus est, sed omnes laetificavit. Porro illis negabatur, quod rogabant, quia non conveniens erat, ut hac hora rogata acciperent. Aliud erat, quod illi ex ore Domini audierunt, et aliud erat, quod ipsi oraverunt. Dixerat enim eis: « Ecce, imus nos Jerosolymam et tenebunt et in crucem agent eum » [3]. Hi autem relicto amore, quem in eum habebant, ut cum eo contemnerentur et morerentur, amorem monstrare coeperunt, quem in eum propter se ipsos habebant, dicentes: Da nobis, ut sedeamus ad dextram tuam et ad sinistram tuam.

1. Sic in cod. B. In cod. A « simpliciter ». Sententia haec eliptica esse videtur, ejusque sensus est: Vidit Dominus, eos imprudenter rogasse, ideoque non dedit, quod rogabant, quum antea etc.

2. Math. 19, 27.

3. Cf. Math. 20, 18.

Omnia haec sua opprobria Dominus eis exposuit, ut ostenderet, quis ille esset, qui accurreret, ut cum ipso pateretur. « Si patimur cum eo, ait, et glorificamur cum eo »[1]. Si propterea quod non habebat potestatem, eis non dedisset, cur dedit duodecim Apostolis? Deditne, an non dedit? Si non dedit, non est vera ejus promissio; si vera est, profecto illud semel[2] omnibus dedit. Alioquin[3] quomodo valeret, quod dixit: « Quaecunque habet Pater meus, mea sunt »? et: « Quae ego habeo, Patris mei sunt »[4]. Sed quia illi venerunt, ut sibi locum prae collegis suis eligerent, dixit ad eos Dominus: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? ut patefaceret, hunc locum pretio comparandum esse, ut et dicitur: « Propterea et Deus elevavit et exaltavit eum »[5]. Postquam illi didicerunt, hunc locum operibus emendum esse, ita dicere pergit: « Si ergo didicistis, quod operibus hic locus acquiritur, facile fieri potest, ut quidam inveniantur, qui praestantius, quam vos, cucurrerunt aut current. Et qui in cursu suo omnibus hominibus praestat, is in consilio Patris designatus est, et huic iste locus paratus est ». Itaque quia per electionem sine operibus hunc locum accepturi venerunt, Dominus eos rejecit et ostendit, se potestatem non habere, ne eos contristaret, ut illud: « Illam horam nemo scit »[6]. « Non est, ait, vobis datum scire tempora et momenta »[7]. Dominus igitur preces filiorum Zebedaei quasi coronam in medio discipulorum posuit, qua fortior in bello pro ipso gesto coronaretur. « Et scrutabitur, ait, cogitationes cordis ejus et erit laus unicuique nostrum a Deo »[8].

1. Rom. 8, 17.
2. « Semel » h. l. significat: Semel et in perpetuum, ut et in lex. Arm. Ital. habetur: « Una volta per sempre ». Cf. ad Heb. 9, 12.
3. I. e. si non posset dare, quod rogabant.
4. Ioann. 16, 15; et 17, 10.
5. Phil. 2, 9.
6. Math. 24, 36.
7. Act. Apost. 1, 7. Pro բարիս in cod. B recte est տարիս.
8. I Cor. 4, 5.

Precabatur Zachaeus (Luc. 19, 1-10) in corde suo et dixit : « Beatus est, quicunque dignus invenietur, ut in domum ejus iste justus intret ». Et dixit ei Dominus : Festina, descende istinc, Zachaee ! Qui cum intellexisset, Dominum cogitationem ejus novisse, dixit : Si istam cogitationem novit, omnia quoque, quae unquam feci, scit. Ideo respondit : « Omnia, quae unquam ab aliquo injuste accepi, reddam haec quadruplum ». Festina, ait, et descende, de hac ficulnea, quia ad te diversurus sum. Prior ficulnea Adami per posteriorem ficulneam publicani, et nomen Adami rei per Zachaeum justum detur oblivioni. Ecce, ait, Domine, dimidium omnium bonorum meorum dabo pauperibus, et omnia, quae unquam injuste ab aliquo accepi, reddam haec quadruplum. Ideo : Hodie facta est salus huic domui. Confundatur populus incredulus repentina poenitentia hujus viri, qui vespere raptor et mane donator [1], vespere publicanus et mane discipulus.

Zachaeus justam legem [2] mente sua dimisit, et in ficulneam surdam ascendit, quae surdum ejus auditum significabat ; sed cum ascenderet, ficulnea facta est imago suae salutis. Dimisit enim cogitationes terrestres, et ascendendo quasi in medium aërem se extulit, ut excelsam divinitatem intueretur. At Dominus jussit eum festinare et de illa surda ficulnea ac sub ejus imagine de operibus suis descendere, ne in sua surditate permaneret, sed in charitate Domini effervescens nova germina produceret. Conflando recoxit eum, ut vetustatem ejus tolleret et novum hominem in eo efformaret. Et ut sciret, se nunc esse renatum, ait : Quia et iste utique filius est Abrahae.

Lux venit in mundum, ut caecis lumen daret, et infideles fidem doceret. Dominus cum ad caecum venisset, hic coepit clamare et dicere : Jesu fili Da-

1. Cf. Gen. 49, 27.
2. Id est : legem antiqui Foederis.

vid, miserere mei (Luc. 18, 35-43). O felicem mendicum, qui manum extendens, ut ab homine obolum acciperet, dignus habitus est, ut donum a Deo acciperet. « Jesu, ait, fili David, miserere mei ». Bene cogitabat, eum esse filium Davidis, qui caecis et claudis Iebusaeis misericordiam adhibuit. Et quid ei respondet? Respice, fides tua te salvum fecit. Non dixit: « Fides tua tibi visum dedit », ut ostenderet, fidem prius salutem et postea apertionem oculorum ei dedisse. Increpabant, et impediebant hunc caecum, ne veniret ad Iesum, ideo magis clamabat. Quando caecus interrogaverat: Quis est hic? dixerunt: Iesus Nazarenus. Cognovit ille, eos non ex amore ipsi hoc dixisse, sed id quod inimicorum erat, reliquit, et id quod amicorum erat, assumpsit. « Fili David, miserere mei ». Sic clamabat, quia eum impediebant eam ob causam, ne apertionem oculorum videntes invidia tabescerent. Caecus quidam sedebat secus viam in transitu viarum et nomen ejus erat Bartimaeus, filius Timaei, et abjecto pallio venit ad eum (Marc. 10, 46-52). Dominus videns, oculos ejus internos esse illuminatos, externos autem omnino nihil videre, hos lucidos fecit, sicuti erant illi, ut ei visibilis et manifestus esset, quando denuo ad ipsum recurrere vellet.

Quas autem intra templum oves et boves vendebant, eae erant, quas sacerdotes ex sacrificiis colligebant (Math. 21, 12) [1].

Illius Pharisaei, qui orabat (Luc. 18, 9), omnia verba, quae dicebat, vera erant, sed glorians haec loquebatur. Publicanus autem [2] peccata sua in humilitate propalavit. Qui peccata sua confitebatur, Deo magis placuit, quam ille, qui justitiam suam confitebatur. Gravius utique homini est confiteri peccata

1. Verba hujus sententiae Aucher sic exprimit: « Illi vero, qui vendebant intus in templo oves et boves, ea erant, quae colligebant sacerdotes ex ipso sacrificio ».

2. Ad verbum: Hic autem.

sua, quam justitiam suam, et Deus ad eum respicit, qui, quod grave est, suffert et tolerat. Apparuit ergo, quod publicanus graviora sufferebat et tolerabat, et hic descendit justior illo, in hoc uno tantum, quod humiliatus est. Quod si Pharisaeus peccator erat, sua oratione peccatum peccatis addidit, publicanum vero ab isto peccato Dominus declaravit immunem. Pharisaeus quum oraret, sua oratione iram Dei provocavit [1]. Ex hac igitur ira disce precari ut publicanus.

## CAPUT XVI.

Maledixit ficulneae (Math. 21, 19), quia ita scriptum est: « Quando messem colliges agri tui, relinque, quod remanserit, et quando decuties olivas tuas, similiter facies ; ita et in omnibus, quae possides, facies [2]. Sed possessor hujus fici inobediens hanc legem contempsit, quumque Dominus venisset, et nullos relictos fructus in ea reperisset, ei maledixit, ne possessor ex ea amplius comederet, quia nihil orphanis et viduis reliquerat. Similiter Gergesaei consilium ceperunt, non egrediendi ad Dominum, quare porcos eorum suffocavit, ut excitarentur et vel invitus ad eum exirent.

Ita et possessor hujus ficulneae decreverat, Christum non adire, et hic arefecit ficulneam ejus, ut invitus ad ipsum veniret, quia Dominus in omnibus occasionibus salutem hominum desiderabat.

Rursus quando dixit: « Destruite templum hoc et tertia die suscitabo illud », ei responderunt: « Quadraginta sex annis aedificatum est templum hoc, et tu tertia die suscitabis illud » [3], ex quibus patet, illos non credidisse in eum. Et cum ei ornamentum templi

1. Ad verbum: Ecce oratio ejus ira facta est.

2. Deut. 24, 19-21. Ultima sententia ad verbum sic habetur: Ita etiam omnia, quae possides, facies.

3. Ioan. 2, 19-20.

monstrarent, dixit : « Venient dies, quando destruetur, et Ierusalem subvertetur [1].

Itaque ad monstrandam potestatem divinitatis suae maledixit ficulneae et arefacta est, ut per opus praesens, quod videbant, id quod futurum erat, crederent. Et ei maledixit, ne in futurum fructus in ea nascerentur secundum legem, quia illa legem non suscepit [2]. Quaesivit autem in hac fico fructum non tempore suo [3], ut imago fieret ejus qui tempore suo legem hebetavit et solvit [4]. Si enim tempore convenienti fructus in ficulnea quaesiisset, nemo cognovisset, eam imaginem fuisse et symbolum. Per ficum manifeste urbem Ierusalem reprehendit, in qua charitatem quaesivit, sed haec fructum poenitentium [5] odio habuit. Esurivit et festinanter venit ad ficum, cui, quum nihil in ea invenisset, maledixit. Quod si esuritio tribueretur corpori, quando nimirum necessitas naturae eam excitabat, attamen, quod quaesivit fructum tempore non convenienti, quomodo hoc obvenit ei qui et abscondita cordis sciebat? Intellige igitur, Dominum non propter suam famem ficulneae maledixisse, quia, licet tempus fructuum fuisset, tamen propterea quod fructus, quos inveniret, sibi non essent reservati, ficulneam ab ipso arefieri et eradicari non oportuit.

Nonnulli autem dicunt, arborem fici esse Ierosolymam, quia fructum non protulit et urbi infructuosae, ajunt, in ficulnea maledixit, et qui esurivit, inquiunt, esurivit poenitentiam et venit, ut eam in Ierosolymitanis quaereret et non invenit. Quibus adjun-

1. Luc. 21, 5.

2. Sensus hic esse videtur : Ne nascerentur in ea fructus secundum legem naturae, quia lex Mosaica a possessore ejus non observabatur.

3. I. e. quum non esset tempus fructuum.

4. Ita in cod. B. In cod. A : qui legem lavit (i. e. purificavit) tempore suo. Porro notandum, in cod. B pro « tempore suo » esse « tempore suo statuto », quae lectio contextui non ita apta est, ut lectio codicis A.

5. « Poenitentium » vel pro poenitentia positum est, vel, poenitentes sunt fideles, qui poenitentiam egerunt.

gunt alterum dictum : « Viro cuidam erat ficulnea in vinea sua [1], et utrumque ad urbem Ierusalem referunt. Sed si Ierosolyma est, ex qua quaesivit fructum, cur, quum tempus non esset, quo daret fructus, sub imagine ficus ei maledixit, ut subverteretur ? Et si tempus ejus non erat, quomodo intelligitur verbum Apostoli : « In fine temporum misit Deus Filium suum » [2]. Et quum adventus Unigeniti tempore opportuno fuit, cur ficus tempore fructibus inconvenienti comparatur cum urbe Ierusalem, cui tempus fructibus conveniens erat? Attamen majorem operam adhibeamus in isto loco Scripturae, ex quo solutionem nostrae quaestionis inveniemus. Ecce de Domino urbem Ierusalem ingrediente scriptum est : Vidit Dominus eam et flevit super eam et dixit ei : Utinam cognosceres tu hanc diem tuam [3]. Si ergo dies ejus erat, quanto magis et tempus ejus ? Attamen ficulneae non erat tempus suum, ex quo patet, aliud esse ficulneam et aliud Ierosolymam.

Ex hac inquisitione de fico intelligemus, eam non esse urbem Ierusalem, ut nonnulli dicunt. Verisimile itaque est, Apostolos eo tempore solita sua simplicitate aliquid mente agitasse et in dubio versatos esse. Quos ut per miraculum a dubio absterreret, in conspectu eorum arborem ficum arefecit. Quando reversi sunt, dicunt ei: Ecce ficulnea, cui maledixisti, quomodo arefacta est subito! Dicit ad eos: « Et vos, si habueritis fidem et non dubitaveritis in corde vestro, dicetis huic monti et transferetur ». Si haec ficus symbolum fuisset et imago, non conveniret, ut diceret: « Si fidem habueritis », sed : « Si sit in vobis cognitio ». Ergo in hac fico miraculum erat, non symbolum.

Iterum dicunt, quod ait: « Dicetis huic monti », non est mons, sed diabolus, aut simile aliquid. At quis daemon erat vicinus, quando Dominus hoc dixit ? Quod

1. Luc. 13, 6.

2. Gal. 4, 4 : Pro « misit » est « mittet » vel « mittat », quod ex errore positum arbitror.

3. Luc. 19, 41.

autem mons vicinus erat, patet, quia ad montem Olivarum venit, in quo absque dubio et ficulnea erat, et eis qui hunc montem aspiciebant, dixit: « Si dixeritis huic monti, fiet ». Si iste mons daemon erat, ut illi opinantur, de eo id quoque valeret, quod sequitur: Mittere in mare. Verum qua ex causa, si quis daemonem ejicit, in mare eum mittet? At fortasse haec eis erat causa, quod Dominus hac ratione [1] daemones ejecit? Quod Dominus daemones ejecit, verum est, et quod daemones eum rogarunt, ut in porcos intrare possent [2], non est falsum; sed Dominum eos in mare misisse, Scriptura non dixit [3]. Causa enim, cur illi daemones in porcos intrarunt, manifesta facta est, quoniam hoc miraculum habitatores urbis ad Dominum festinanter eduxit, qui voluntarie ad eum exire renuebant.

Quod si haec erat ratio, cur oportebat eum dicere: Si dixeritis huic monti, vade, mittere in mare? Sed quia eos de ficulnea arefacta admirantes vidit, dixit eis: « Si credideritis nec dubitaveritis », etc; sicut et ad Nathanael dixerat: « Si credis, majora quoque, quam haec, videbis » [4]. Si non dubitaveritis, non solum in hac ficulnea, quae in hoc monte est, Dominus sic faciet, sed et totus iste mons cum omnibus suis arboribus transferetur et in medium mare mittetur. Et ut eis ostenderet, verbum suum esse vivificum et se ipsum esse, qui vivificat et judicat, per illud ficum viridem arefecit et manum aridam sanavit.

Cur autem ille dulcis et beneficus, qui ubique in parvis magna et in defectibus plenitudinem monstravit, arefieri jussit ficum? Omnes morbos hominum sanavit, aquam in vinum convertit, ex paucis panibus fecit multos, caecorum aperuit oculos, leprosos mundos fecit et mortuos in vitam resuscitavit; solummodo

1. Verba: « hac ratione » ad sensum explicandum inserui.
2. Haec sententia in solo cod. B est.
3. S. auctor concedit, Dominum daemonibus permisisse, ut in porcos intrarent, sed recte negat, Dominum eis praecepisse, ut in mare mitterentur. Cf. Math. 8, 31.
4. Ioann. 1, 50.

ficum manifeste fecit siccari. Sed quum tempus suae passionis prope esset, ne quis putaret, eum comprehensum esse, quia se ipsum liberare non posset, Dominus ficulneae maledixit, ut haec amicis fieret signum, inimicis vero portentum, et discipuli hoc ejus verbo in fide confirmarentur, et alieni potentiam ejus admirarentur. Quia omnia bene fecit et in eo fuit, ut cruciaretur, suspicari potuerunt, quod et revera fecerunt, eum ea de causa comprehensum esse, quia potentia in eo defecit, cui praeveniens per inanimatam plantam, quam arefecit, ostendit, se per verbum etiam crucifixores suos perdere posse. Sicuti eo tempore per suam divinam potentiam hoc opus perfecit, ne tanquam infirmus ex parte naturae suae humanae vilipenderetur, ita postea Simoni dixit: « Mitte gladium tuum in locum suum » [1].

Qui venerat, ut invisibilia damna hominum tolleret, ter visibilibus damnis eos affecit. Sepulcra fregit et contrivit, porcos in mari suffocavit et ficum radicitus fecit arescere, ut fractis fidelium sepulcris infidelium corda contritione frangerentur, et grege porcorum suffocato error fidem renuentium suffocaretur, et per ficulneam sine delicto arefactam urbs Ierusalem propter sua delicta destrueretur [2]. Esuriit et festinans venit ad illam ficum. Oculis videntium et auribus audientium visibilem suum habitum et verbum suum adaptavit.

Admirati sunt discipuli ejus, quomodo tam subito arefacta sit. Quia nempe sua natura ficus, si caeditur propter viriditatis abundantiam post multos demum menses arida fit, ideo eam in signum elegit, qua praesagium daret potentiae suae. Nam, ut notum est, ficus ante omnes arbores germina et folia profert, sicuti Dominus ipse in illa parabola dixit: « A fico discite parabolam, quia quando rami teneri

1. Matth. 26, 52.

2. Sic verba habentur. Ultimam sententiam contextui sermonis non apte convenire, nemo non videt.

fiunt et folium prodit et germinat, scitis quod prope est aestas »[1]. Vide, quod propter multum humorem et primum florem fico in hoc signo usus est, et vim potentiae ejus perpende, ut superna virtus comprobata appareat. Dominus ad eos, qui eum comprehenderunt, os suum non aperuit, sicuti aperuerat ad ficulneam. Propterea hanc fecit arescere, ut Israelitae reflorescerent, sed noluerunt. Apprehensus est, quia voluit, ut et de coelo venit, quia ei placuit.

Scriptura narrat, Adamum, postquam peccavit, et gloria, qua vestitus erat, denudatus est, foliis fici nuditatem suam texisse. Venit ergo Dominus et pro Adamo cruciatum sustulit, ut vulnera et plagas ejus sanaret et vestem gloriae nuditati ejus restitueret. Itaque ficum arefecit, ut declararet, non amplius opus esse foliis ficulneae, quibus Adamus vestiretur, quia ad pristinam gloriam reductus est, quam quum haberet, nec foliis indigebat, nec vestibus pelliceis. Exhinc igitur homo non opus habet arbore fico, quae arefacta est, cujus folia, donec viridis esset, vestis erant pudoris et tegumentum opprobrii ejus.

Nemo ascendit in coelum, nisi, qui descendit de coelo, filius hominis (Ioan. 3, 1-14). Quoniam signum ab eo petebant, ait eis: Itaque si terrena dixi vobis et non credidistis, quomodo, si coelestia dixero vobis, credetis? Et nemo[2] ascendit in coelum, nimirum ut veniret et mihi apud vos testis esset. Porro quia scivit, quosdam dicturos esse, carnem non ascendere[3], ait eis: « Nisi qui descendit de coelo ». Non quod corpore Christus[4] de coelo descendit, sed quia conceptio Mariae non ex semine hominis facta est, sed Gabriel descendit de coelo, illam

1. Math. 24, 32.
2. Sic in cod. B. In cod. A: Et nemo est, qui ascendit.
3. Scilicet in coelum.
4. Ita in cod. B. In cod. A: Non quod corpus Christi descendit, quasi jam ante conceptionem Mariae extitisset, neque ex semine hominis fuit.

salutationem in ore suo gestans ; ideo dixit : « Qui descendit de coelo ».

Rursus, quia Dominus post verba Nicodemi dixit: Tu es magister in Israel et haec ignoras, quaerimus, quid scire ille deberet, nisi id quod in lege et in prophetis continebatur, scilicet, hyssopum intingere et aqua conspergere et baptizare ad sanctificationem et alia hujusmodi. Si ante adventum Filii typi non essent efformati, injuste Dominus ex Nicodemo ita quaesiisset. Quum autem Filius Dei in sacris suis scripturis absconditus esset, et ille hoc non intellexisset, Dominus recte somnum ejus discussit et morbum miti et modesta voce sanavit, et in memoriam ei revocavit baptismata remissionis, quae erant in medio Israel. Nam et Zacharias, quum sibi annunciaretur, se filium habiturum esse, dubitavit, ideoque lingua ejus, qua ceteros docebat, ligata est. Similiter et Nicodemo omnes hi typi ante oculos positi erant et non credidit; quam ob rem Dominus eum vituperavit, sed comiter. Quia Dominus eum aegrotantem quidem, sed sanitati proximum et ea quae prius in lege de ipso scripta erant, ignorantem vidit, baptismum perfectae expiationis carnis et animae ei monstravit.

Nonne intellexisti, o Nicodeme, Jacobum sine utero et ventre ad primogenituram natum, et Naaman sine utero regeneratum esse, quum Elisaeus ad eum loqueretur et ille abiret et post lotionem et purificationem immutatus rediret, ejusque caro ut caro pueri facta esset? Similiter et Maria, soror Moysis, nonne manifestum signum est baptismi, qui datus est gentibus? Hyssopus [1] enim maculosa ejus ulcera purificavit. In hoc mirabile est, Naaman credidisse et humum de terra Israelitarum secum tulisse, Nicodemum autem ex Domino coelestia quaesiisse, quare audivit: Si terrena dixi vobis et non creditis, si de coelo dicam vobis, quomodo credetis?

1. Ita in cod. B. Sub hyssopo h. l. intelligitur aspersio per hyssopum, quae symbolum erat baptismi novi testamenti.

Porro ait: Spiritum nescitis, unde venit, aut quo vadit, i. e. si sensibilia non comprehenduntur, quis erit, qui ea, quae sensibus non percipiuntur, et quae in coelis sunt, scrutetur? Et nemo est, qui ascendit in coelum, nisi qui descendit de eo, filius hominis, ut doceret, neminem ad locum divinitatis ascendisse et neminem unquam ascensurum esse.

Et dixit ad eum: « Num ullo modo fieri potest, ut homo senex denuo in uterum matris suae intret, et denuo in lucem edatur? Et insuper uterus matris, eum pariendo, juxta legem immundus factus est, ut et filius ab eo editus. At Dominus in hac infirmitate eum non reliquit, sed lucidam doctrinam [1] ei dedit dicens: Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei ». Qui intelligere voluit, ex his verbis sibi propositis, et ex hoc exemplo colligere potuit, carnem indigere immersione aquarum cum communicatione Spiritus [2]. Qui natus est ex carne, caro est, et qui natus est ex spiritu, spiritus est ». Quia in fide eum instruebat, dicit nativitatem carnis esse visibilem, nativitatem autem baptismi spiritum i. e. invisibilem: « Si habueritis fidem, ait, ut granum sinapis, dixeritis huic monti: Transfertor, et transferetur » [3]. Et rursus: « Quodcunque in orationibus vestris in fide petieritis a Deo, dabo vobis » [4]. Quod cum ante oculos eorum positum esset, ad eum dixerunt: « Adauge nobis fidem » [5].

Serpens Adamum in horto percutiens occidit et Israelitas in castris perdidit. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, quia sicut per illud simulacrum, quod Moyses cruci affixit, corpora-

1. Ita in cod. B. In cod. A falso « infirmitatem ».
2. Sententia ex cod. B correcta.
3. Math. 17, 19.
4. Math. 21, 22.
5. Luc. 17, 5.

liter liberati et vivi servati sunt, qui corporaliter id intuebantur, ita affixo corpore Christi de cruce pendentis salvati vivunt, qui credentes eum intuentur. Per passionem, quam serpens ex natura sua non patitur, indicatum est, in cruce passurum esse eum qui ex natura sua non moritur.

In judice hoc peccatore (Luc. 18, 1-8) quanta erat iniquitas et malitia? Aut [1] in judice hoc justo quanta misericordia et justitia? In sua iniquitate noluit viduae jus dicere et ob suam malignitatem noluit ei procurare quietem. Justitia vero Dei scit exigere et misericordia ejus novit vivificare et refocillare.

Injustitia ergo illius judicis est contraria justitiae Dei et malitia illius amara dulci misericordiae Dei contradicit. Et dura erat illius injustia, quia ausus est, a timore Dei deficere, et magna erat ejus protervitas, quia homines revereri aspernabatur. Dura sunt ista duo, sed utrumque orationis instantia superavit. Nam et injustitiam, quae a Deo defecerat, et protervitatem, quae in homines superbiebat, utramque instantia mulieris fregit et ad suam voluntatem flexit, ut contra adversarium ipsi jus diceret. Utrumque ramum amarum instans oratio mutavit, ut ei dulces fructus darent a sua natura alienos. Ergo judicium justum et retributionem justam ille judex, malitia sua non obstante, mulieri spoliatae praestitit, et requiem dedit miserae oppressae. Verumtamen injustitia nescit juste vindicare, et malitia impar est refocillando. Si ergo haec duo mala acerba perseverans oratio in angustias redegit, ut ipsi darent fructum bonum et naturae suae contrarium, quanto magis nos exaudiemur, si perseverantes misericordiae et justitiae Dei vim inferamus [2], ut fructum naturae suae consentaneum nobis praestent, i. e. ut justitia nos vindicet et misericordia nos consoletur, quia juste retribuere injuriam patientibus, fructus [3] est justi-

1. Aut « h. l. sine dubio pro et » positum est.
2. « Haec et sequentes duae » sententiae ex cod. B emendatae sunt.
3. Fructus h. l. effectum naturae convenientem significat.

tiae et refectionem dare afflictis, fructus est misericordiae.

Venerunt et dixerunt ei: Qua potestate tu hoc facis? (Math. 21, 23-27). Quod dicunt ad eum, donec populum doceret eique praedicaret.

Si docebat, cur doctrinam opus vocarunt? Sed constat, quod veritatem verborum suorum testimonio operum suorum confirmabat[1], ut et dixit: « Si mihi non creditis, saltem operibus credatis »[2].

Qua potestate tu hoc facis? Tamquam inquisitores eum interrogarunt, quibus ille non respondit, quia non ex charitate ad eum accesserant, ut docerentur, sed ut rebelles et adversarii. Vicissim potius eos interrogavit: Baptismus Ioannis unde erat? Quod verbum eos coegit confiteri, se Ioanni[3] non credidisse. Ex coelo erat, an ex hominibus? Illi secum perpendere coeperunt et dicere: Si dicimus, quod ex coelo est, dicet nobis: Cur ei non credidistis? Si vero dicimus, ex hominibus, timemus populum istum. Quando dixerunt: « Si dicemus, quod ex coelo est », non addiderunt: Timemus Deum. Ergo homines timuerunt, non autem Deum.

Quid vobis videtur? Homini cuidam erant duo filii (Math. 21, 28-32). Filios eos vocavit, ut eos ad opus peragendum excitaret. Sane, ait, Domine! Ille eum vocaverat filium, hic autem ei respondit: « Domine ». Non vocavit eum patrem et nihilo secius verbum ejus perfecit. Quis ex his fecit voluntatem patris sui? Et illi juste decernentes dixerunt: « Secundus ».

Non dixit: Uter videtur vobis dixisse: « Ego vado », sed: « Quis fecit voluntatem patris sui »? Ideo publicani et fornicatores praecedent vos in regnum coelorum, quia vos verbis promitti-

1. Ad verbum: « In testimonium adducebat operum suorum ». Contextus versionem meam postulat.
2. Ioan. 10, 38.
3. « Ioanni » explicationis causa inserui.

tis, illi autem currunt. Venit ad vos Ioannes in via justitiae, i. e. honorem Domini sui sibi ipse non arripuit, sed, cum putarent, eum esse Christum, respondit eis, se non dignum esse, ut portet corrigias calceamentorum ejus [1].

Alia parabola: Vir quidam paterfamilias plantavit sibi vineam (Math. 21, 33-45), quod idem est atque illud: « Vineam ex Aegypto transtulisti, extirpasti gentes et plantasti eam » [2].

Et sepe munivit eam, nempe lege, et torcular praeparavit in ea, altare, et aedificavit in ea turrim, templum, etc. Et misit servos suos, ut ei fructum afferrent. Attamen nec primi, nec medii, nec postremi fructum a colonis acceperunt. Post haec misit filium suum, non ac si hic novissimus esset, sed postea apparuit, qui antea jam fuit, ut et Ioannes testatur: « Vir veniet post me, qui prior utique est » [3]. Non ignoravit, praecessores, quos misit, fructus accipiendo impares fuisse, sed hoc fecit, ut querelas obstinatorum hominum e medio tolleret dicentium: « Non potuit per legem dirigere et praeparare omnia, quae voluit ». Misit ergo Filium [4], ut eis silentium imponeret. Sed quum vidissent, filium venisse, dixerunt: Hic haeres est hujus vineae, venite, occidamus eum et tunc nostra erit haereditas vineae. Filium quidem occiderunt, sed haereditas translata et data est gentibus, sicut et dixit: « Qui habet, dabitur ei et abundabit, et qui non habet, et id, quod rapuit, auferent ab eo » [5].

Facit eos judices in propria causa dicens: Quid merentur isti coloni? Ipsi de se sententiam ferentes reposuerunt: Malos per mala perdet, etc. Postea sensum explicat et dicit: Nunquam legi-

1. Cf. Math. 3, 11.
2. Ps. 79, 9.
3. Ioan. 1, 15. In cod. B, pro « Vir » legitur « Et alius ».
4. Recte hoc vocabulum Aucher explicationis causa inserit.
5. Math. 13, 12 ; 25, 29.

stis: Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, ipse factus est caput anguli? Qualis lapis? Is qui dicitur adamantinus his verbis: « Pono ego adamantem in medio filiorum Israel »[1]. Et ut doceret, se ipsum hunc lapidem esse, propter hujus firmitatem ait: Quicunque in eum offendit, confringetur, et super quem cadet, conteret et consumet eum; principes enim populi contra eum congregati sunt et eum perdere voluerunt, quia ejus doctrina eis non placuit. Et dictum est: « Super quem cadet, conteret et consumet eum », quia sustulit idololatriam et alia hujusmodi. Nam lapis, ait, qui percussit simulacrum, factus est mons magnus et impleta est ex eo universa terra[2].

Miserunt ad eum discipulos suos cum Herodianis: Dentne tributum? (Math. 22, 16-22). Quia Dominum regno Israel potiturum esse crediderunt, quum filium David eum vocarent, voluerunt videre, utrum tributum Caesari dari juberet. Si enim diceret: « Ne detis », causam eum accusandi invenissent, quoniam se ipse praedicaret regem. Non enim haec dixerunt, ut eos a solvendo tributo deterrerent, sed ut eum occiderent. Ut autem eis monstraret, suam doctrinam his rebus superiorem esse, et se vitam hominum velle servare, dicit: Date Caesari, quod est Caesaris, sed Deo, quod debetis, reddite ei.

Venerunt Sadducaei et dicunt ei: Non est resurrectio mortuorum. (Math. 22, 23-33). Vocantur isti Sadducaei i. e. justi, quum dicant: Nos non ob mercedem Deum colimus; hi enim non respiciunt ad mercedem in resurrectione mortuorum, ideo se ipsos justos vocant. Sine mercede, dicunt, oportet nos amare Deum[3]. Moyses praeceptor[4] nobis mandatum dedit: Si quis carens li-

1. Cf. Is. 54, 12, vel Ez. 3, 9.
2. Dan. 2, 35.
3. S. auctor de Sadducaeis plura in fine operis refert.
4. Ad verbum: « Patriarcha », ut et Aucher vertit.

beris moriatur, frater ejus uxorem ejus ducat. Itaque uxor quaedam fuit septem viris. In resurrectione ergo mortuorum, cui ex his erit? Estne spes, denuo in altero mundo fore matrimonium? Quod si Judaei in resurrectione mortuorum matrimonia expectant, non est mirum, quod nunc a castitate se avertunt. Valde erratis, quia filii adulti hujus mundi uxores ducunt etc. Qui vero illo mundo digni facti sunt, hi ut angeli sunt. Si homines, qui angelis similes fiunt, non ineunt matrimonia, quid de illis dicemus, qui audent hac de causa et angelos calumniari[1]?

Quod mandatum primum et magnum est[2] in lege? Respondit ei: Ut diligas Dominum Deum tuum et proximum tuum sicut te ipsum (Math. 22, 35-39). Nam charitas Dei non sinit nos perire, et charitas proximi non patitur nos offendere, quia nemo eum offendit, quem amat. Sed quae sunt corda, quae receptacula amoris erga omnes filios carnis suae fieri possint? Aut quae mens hominis in se potest incrementum dare illi amori in omnes animas, quem in ea seminavit hoc praeceptum, quod norma est charitatis? « Diliges proximum tuum, sicut te ipsum ». Membra nostra non sufficiunt, ut sint vasa celeris et munificae voluntatis numinis divini, sed solum fructus, qui ex Deo est, ejus voluntati sufficere potest. Accurrerunt angeli, ex sua parte operantes, accurrerunt reges, quod suum erat, facientes, accurrerunt prophetae, miracula patrantes, attamen homines non sunt salvati, donec de coelo descenderet ille, qui nos quasi manu apprehendit et suscitat. Duobus ergo his praeceptis quivis Christi discipulus quasi duabus alis volat, charitate nimirum in Deum et charitate in homines.

1. S. auctor h. l. eos arguit, qui angelos cum filiabus hominum matrimonia contraxisse affirmarunt. Cf. ejusdem commentarium ad Gen. 6, 1-2.

2. « Est » in solo cod. B legitur.

Ille vulneratus (Luc. 10, 25-37) Judaei sunt, et per Samaritanum Sacerdotes et Levitas vituperavit, qui erga filios gentis suae non fecerunt misericordiam. Dixit ad eum: Et tu fac similiter, scilicet in Judaeos, concives tuos. Non dixit: Samaritanus esto tu. Quia nempe ille interrogaverat: « quis est proximus meus », i. e. quis est, quem diligam, Dominus ei monstravit Judaeum vulneratum. Quum autem Samaritanus etiam gentilibus inimicus esset, cur pro Judaeo vulnerato in hac parabola non adhibuit gentilem? Nonne hoc modo Sacerdotes et Levitas pudore affecit, qui non faciebant misericordiam in filios populi sui [1]? Si quendam gentilem in parabola proposuisset, aliquid omnino peregrinum hoc loco eis in medium protulisset, quia Judaei curam de gentilibus non habebant; et in fine illi dixit: « Similiter facies ». Sed nunc nobis dicant: Num lex praecipit, misereri vulnerati nostri nec ne? Si hoc ita se habet, Dominus fortassis venit, ut Samaritanum a calumnia vindicaret, praecipue cum ei dixit: Sicut illi, qui non fecerunt misericordiam, tu ne facias [2]. Et ut ostenderet, Judaeum fuisse, qui in latrones incidit, dixit: A Jerusalem in Jericho. Samaritani autem ibi habitabant, quia reges priores captivos eos deduxerunt, et eo collocarunt. Sensus hujus effati clare ad commendandam misericordiam spectat. Quis ex istis videtur tibi proximus fuisse vulnerato? Dicit ei: Qui fecit misericordiam. Et ecce, Samaritanus erat iste.

1. Haec sententia, quae contextum sermonis perturbat, ex praecedentibus falso repetita videtur.

2. Sensum hujus loci sic intelligo: Si legi consentaneum est, hominis vulnerati misereri, Dominus Samaritanum misericordem in parabola proferens ejus gentem a convicio inhumanitatis vindicavit, quum et Judaeum interrogantem quasi his verbis dimitteret: « Sicuti illi Sacerdotes et Levitae, concives tui, fecerunt, tu ne facias ». Verba hujus loci Aucher sic reddit: Si hoc ita est, Dominus vindictam Samaritani venit forsitan exigere, praesertim quod dicit ei, quod, sicut illos, qui non fecerunt misericordiam, noli tu facere ». Signum interrogationis Aucher recte negligit, quod et in cod. B omissum est.

Patuit ergo, Samaritanum filio non suae gentis proximum fuisse. Licet, ait, cognati et sacerdotes, quorum est, afflictorum curam gerere, despiciant et negligant filios suae gentis, et si accidat, ut tu ex istis Samaritanis adversariis ortus sis, tamen noli contemnere afflictum, sed eum reputa proximum tuum et magna cura sana.

Dominus clamavit et dixit: Si quis vestrum sitit, veniat ad me et bibat. (Ioan. 7, 37). Idem propheta dixit his verbis : Quicunque sitit etc. [1]. Propheta misit ad fontem, et qui adimplet prophetas [2], invitat, ut bibant. Idem et Sapientia dixit: « Edite panem meum et bibite vinum, quod miscui, et rejicite a vobis insipientiam stultitiae vestrae et vivetis » [3].

Quia inflati sibi ipsi applaudebant et de nomine Abrahae gloriabantur, opera autem Satanae faciebant, dixit ad eos : « Ne eligite nomen unius et opus alterius ; aut facite opera ejus, cujus de nomine gloriamini, aut assumite nomen ejus, cujus opera in vobis dominantur ». Si filii estis Abrahae, opera Abrahae facite (Ioan. 8, 40).

Ut ostenderet, magnam esse differentiam inter nomen Abrahae et opera, quae vos facitis, dixit: Vos estis filii Satanae, qui ab initio homicida erat, et adjungit: Cur quaeritis me occidere? Abraham id non fecit. Hoc autem eis praedixit, primo, ut eos moneret, ne ipsum occiderent, dein, ut ab ipsis testimonium acciperet, dicentibus : Quis te vult occidere, ut, quando eum occiderent, per illa verba damnarentur. Abraham hoc non fecit, sed potius eorum misertus est, qui mala faciebant i. e. Sodomitarum. Quomodo itaque Abraham, qui clemens fuit erga peccatores, ad eos pertinet, qui Dominum ju-

1. Is. 55, 1. « Omnes sitientes venite ad aquas ». Cod. B habet : Quicunque sitit aquam.

2. I. e. « Qui oracula prophetarum adimplet ». Cf. Math. 5, 17.

3. Prov. 9, 5-6.

storum occidere quaerebant? Samaritanum autem Dominum vocarunt, quia Samaritani de se ipsis contra Judaeos affirmant : Nos sumus filii Abrahae, ut et Judaei contra eos idem de se contendunt. Quum jam Dominus ad Judaeos dixisset : « Si filii estis Abrahae, etiam opera ejus facite », Judaeis visum est, partes Samaritanorum hoc ejus verbum tueri, ideo dixerunt ad eum : Samaritanus es tu.

Abraham desideravit videre diem meum, vidit et gavisus est. Quem diem? Illum, de quo ei dictum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes » [1]. Vidit autem et gavisus est, quia novit mysterium agni, salvationem omnium gentium. Quinquaginta annos non habes, et Abraham vidisti? Respondit eis : Antequam Abraham erat, ego jam fui. Quia Christus existebat, et, licet absconditus, aderat, quando Isaac per agnum in vita servatus est, ideo in eo signum suum monstravit. Et semen ejus qui per agnum salvabatur, quum in Aegyptum [2] descendisset, et longo tempore ibi fuisset, ab illo, qui in praecedentibus saeculis sub Isaac praefigurabatur, eadem agni imagine liberatum est. Ex illo tempore immolabant multos agnos, donec verus agnus advenisset. Et cum Ioannes ad eum accederet, proclamavit : « Ecce agnus Dei ». Et quia agnus verus venerat, agni cessarunt, qui tantum imagines ejus erant.

Quia eum blasphemarunt, quoniam dixerat : « Antequam Abraham fieret, ego sum, et quum Abraham nondum esset, ego eram », obvium se fecit caeco ex utero matris. Et interrogaverunt eum discipuli : Cujus est peccatum? Et respondit eis : Nec hujus, nec cognatorum ejus, sed ut revelentur in isto opera Dei. Et me oportet operari opera Patris mei, qui misit me, quamdiu dies

1. Gen. 22, 18.
2. Ita verti ex correctione cod. B.

est (Ioan. 9, 1), i. e. quamdiu apud vos sum. Veniet nox et Filius exaltabitur in coelos ad Patrem suum, et vos, qui lux estis mundi [1], in mortem trademini et cessabunt signa ob incredulitatem multorum. Et cum haec dixisset, spuit in terram et fecit lutum ex sputo suo, et fecit oculos in hoc luto et lux orta est in humo, sicut et ab initio fecit, quando umbra coelorum sive tenebrae supra omnes res dispersae erant, et mandatum dedit luci et nata est ex tenebris. Ita et hîc lux ex sputo ipsius creata defectum creationis, quae erat ab initio, complevit, ut patefaceret, quod, sicut defectus naturae per ipsum complebatur, ita et ipsa creatura originalis ab ipso perfecta et consummata est. Quia credere noluerunt, Dominum esse ante Abraham, hoc opus eis comprobavit, ipsum esse filium ejus qui per ipsum ex terra fecit Adamum primum, quia id quod huic deficiebat, per humum complevit et perfecit.

Rursus id fecit, ut eos argueret, qui dicunt, hominem ex quatuor elementis constare. Formavit enim ex terra et sputo id quod ex membris deficiebat. Porro ad eorum utilitatem hoc fecit, quia signa eos exhortabantur et fidem eos docebant. « Judaei, ait, signa quaerunt [2]. Non enim Siloe solvit oculos caeci, ut nec aquae Jordanis Naaman sanarunt, sed mandatum Christi hoc effecit. Immo et aqua expiationis nostrae non ipsa sanctificat, sed nomina, quae super eam commemorantur, haec nos expiant [3]. Luto ergo oblinivit oculos ejus, ut ceteri caecitatem cordis sui abluerent. Et quum caecus interrogaret, per medios homines ductus : « Ubi est Siloe », et hi lutum, quo oculi ejus obliniti erant, conspicerent, ipsi ex eo quaerentes et ab eo edocti dixerunt : « Agite, eamus cum eo », et abierunt, ut viderent, utrum vere oculi ejus aperirentur.

Externis oculis videntes duxerunt in via caecum,

1. Math. 5, 14.
2. I Cor. 1, 22.
3. Ad verbum : Haec fiunt expiatores nostri.

qui oculis internis videbat et caecus in tenebris versans ducebat in via videntes, qui interne obcaecati erant. Lavit de oculis suis lutum et se ipsum vidit, laverunt et illi caecitatem de corde suo et se ipsos viderunt. Quo tempore Dominus unius caeci oculos in manifesto aperiebat, multorum caecorum oculos in abscondito aperuit. Caecus bene videns Domino quasi stips fuit, qua multos caecos conduxit et a caecitate cordis sanavit.

In paucis Domini verbis multi latebant thesauri et in hoc opere sanationis arcane descriptum erat, eum esse filium creatoris. Vade, ait, lava faciem tuam. Ne quis existimaret, hanc sanationem artificio similiorem esse, quam miraculo, misit eum lavatum, ut ostenderet, caecum non dubitasse de eo quod Dominus ipsum sanaturus esset, et ut caecus interrogando et, quod contigisset, explicando suam fidem manifestam redderet.

Sputum igitur Domini quasi clavis facta est oculorum clausorum et oculos pupillasque ad aquas sanavit et in aquis symbolice sanctificationem suam ad defectum nostrum applicavit. Quod Dominus fecit, ut, quando in faciem ipsius spuerent, oculi caecorum, quos sputo suo aperuerat, eos coarguerent. At illi non intellexerunt suam reprehensionem, quam Dominus, quum oculos caecorum aperiret, his verbis expressit: Qui vident, caeci fient, quod refertur ad caecos, qui eum corporaliter videbant, et ad videntes, quibus non apparuit[1] spiritualiter. Lutum, inquiunt, fecit hoc sabbato. Praetermittunt eum qui sanavit, et coeperunt vituperare id quod fecit. Sicuti viro, qui triginta octo annos infirmitatis habebat, dixerunt: Quis jussit te portare lectum[2], non autem: Quis[3] te sanavit? ita et hîc ajunt: « Lutum fecit hoc sabbato ».

1. Ad verbum: « Apparuit ei » vel « sibi », quod Aucher vertit: « Apparuit ei Dominus ». Sed contextus sequentium hnic versioni contrarius est.

2. Cf. Ioan. 5, 10.

3. Sic in cod. B. In cod. A: « Istene te sanavit ».

Attamen nonne et sine luto, invidia in eum acti, rejecerunt eum, quando sola voce sanavit hydropicum? Cui quid fecit, quando eum sanavit? Solo verbo hic purgatus et sanus factus est. Ergo qui verba profert, juxta illorum sententiam sabbatum solvit [1]. Sane, dicis. At si hoc ita est, quis jam magis sabbatum solvit, salvator noster, qui sanavit, an illi, qui locuti sunt ex invidia contra suum benefactorem?

Quod ait: Omnes, qui ante me venerunt, fures erant et latrones (Ioan. 10, 8), de Theuda et Juda dixit [2].

## CAPUT XVII.

Et ibi erat aegrotus quidam, Lazarus nomen erat ei, et miserunt sorores ejus ad Dominum, dicentes: Domine, ecce, quem amas, aegrotus in lecto decumbit (Ioan. 11, 1). Compara jam verba Vivificatoris et intellige, quomodo inter se conveniant. Ad caecum dixit: « Non hujus est peccatum, nec cognatorum ejus, sed ut revelentur opera Dei in isto » [3]; et de morbo Lazari dixit: Hic morbus non est ad mortem, sed propter gloriam Dei, ut glorificetur in eo Filius Dei. Dixitque ad discipulos: Venite, eamus in Judaeam. Respondent ei: Judaei te quaerunt occidere, et tu iterum illuc abis? « Sed ubi dolores sunt, ait, illuc festinat medicus. Ad lapidatores vado, at ex lapidatoribus fient testes. Multi, ait, ibi crediderunt in eum » [4].

Nonne duodecim horae sunt diei? Si quis in luce ambulat, non offendit, quia

1. Sic in cod. B. In cod. A falso signum interrogationis impositum est.
2. Cf. Act. Ap. 5, 36-37.
3. Ioan. 9, 3.
4. Scilicet post Lazarum resuscitatum. Cf. Ioan. 11, 45.

videt lumen. Quibus verbis per comparationem et imaginem Apostolos voluit docere, Judaeos ante finem anni remissionis, qui est mater mensium [1], non esse offensuros per occisionem Domini, qua tenebrae regnaturae erant in Sion. « Nonne duodecim horae sunt diei » ? i. e. quid timetis, ne lapidemini ? Donec ego vobiscum sum, nemo vestrum mecum et pro me patietur. Verum venient super vos tenebrae, plenae doloribus, quando a vobis elevatus ero et vos dimittam. Sed accipietis coronas, ut et ego, qui coronabor et e medio vestrum elevabor. Venite, eamus, ut et nos cum eo moriamur. Certi erant, quod cum eo euntes lapidabuntur. Ideo consolando confortavit eos, ut timorem ab eis auferret, dicens :

Lazarus, amicus noster, mortuus est et ego gaudeo propter vos. Si autem gaudebat, cur flebat, cum advenit ? Vide ex hoc loco, quam longe a Domino illi quoque, qui ei proximi sunt, distent. Et sicut homo, in quo omnes naturae latent, quamlibet ex eis suo loco in medium profert, modo spiritum, modo corpus, ita et Dominus famem in pane [2] ostendit et lacrymas in amico. Omnes medici, antequam homo mortuus est, laborem et curam adhibent ; at medicus Lazari ad mortuum se vertit, ut in morte ejus medicus excellentiam suae artis ostenderet. Gavisus est, quum audivit, flevit, quum advenit. Dixerat, eum mortuum esse, antequam advenisset, et post adventum interrogavit : « Ubi posuistis eum » ? Porro flevit, quoniam in resurrectione mortuorum morientur illi, qui nunc vivunt [3]. Ibidem gravissimis verbis testatus est simulque opere ostendit et confirmavit, se veram humanam

1. Menses nimirum et dies et horae, de quibus h. l. sermo est, partes anni sunt.

2. Math. 4, 2-3.

3. Sc. impie. Haec et praecedens sententia ex cod. B correctae sunt ; in cod. A nonnulla vocabula desunt. Textum ejus Aucher sic vertit : « Et postquam advenit, interrogavit : Ubi posuistis eum et lacrymatus est. Praeterea de suscitandis mortuis illic magna verbis dixit et manifestavit obsignavitque opere etc. »

naturam assumpsisse. Propterea flevit et revelavit fidem Mariae et Marthae, quae eum adorabant et confitebantur coram aliis, qui longe alio modo eum confitebantur, ut dicit Scriptura: « Mandatum dederunt extra synagogam eum faciendi » [1].

Domine, si hîc fuisses; nimirum, quia ad eum miserant, et ille venire noluerat, cognoverunt, Domini voluntatem fuisse, ut Lazarus moreretur, quum nec ipse veniret, nec responsum mitteret, ut sanaretur. Dixerunt: « Si fuisses hîc », quasi dicerent: Si vis, audi eum. Porro quia audierant a discipulis, eo dormiente, undas excitatas, et iterum, cum apud eos non esset, fluctus maris commotos et conturbatos esse, ideo more hominum dixerunt: Magister, ubi lux est, illuc tenebrae non intrant, et ubi vita est, mors non dominatur. Flevit, ut monstraret, Lazarum esse mortuum, et ut occasionem daret dicendi: « Nonne hic aperuit oculos caeci »? Ex una parte voluerunt eum rejicere, et ex altera eum invitus confessi sunt. O vivificator Lazari, vivifica te ipsum [2]. Per haec quoque verba Dominum confessi sunt, qui eum negarunt.

Jam foetet. Si tu Martha, sicut Maria, ad pedes ejus sedisses, ab eo, ut illa, audisses, ipsi omnia esse facilia. Ego utique sum resurrectio et vita; omnis, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivus est ille. Patet, quod, qui vivus est et credit in me, non morietur in aeternum, i. e. non semper manebit in morte, quia vivus est, et manus mortis non semper ei dominabitur. Nonnulli autem de fine mundi hoc intelligunt, quod illi, qui in adventu ejus in terra sunt, non morientur, ut illud: « Qui residui sunt in adventum ejus, non dormient » [3].

1. Hujus loci verba sic habentur: « Et eum confitebantur coram aliis illis, qui eum confitentur. Dicunt: Mandatum dederunt ut foras mitterent eum ». Verba: « Coram aliis illis, qui eum confitentur » ironice dicta existimo.

2. Marc. 15, 30.

3. I Thess. 4, 14.

Lacrymatus est Dominus propter Lazarum, ut prae se ferret, quod eum non posset resuscitare; quumque illi revera de ipso ita existimarent, in publicum protulit absconditam derisionem dicentium: Nonne poterat iste ita facere, ut hic non moreretur? Forsitan dices: At illi non dixerunt, quod eum non potest resuscitare. Attamen aliquid, quod contra divinitatem ejus pugnabat, locuti sunt dicentes: « Quia flevit, ostendit, se noluisse, ut moreretur, ergo natura ejus divina mortem non ita devicit, ut mortem super eum dominari non pateretur ». Quum igitur illi ludibrium et irrisionem suam ostendissent, ipse divinitatem suam monstravit. Quod autem turbatus est, consonat cum eo quod dixit: « Quamdiu vobiscum ero, et vobiscum loquar »[1]? et alio loco: « Taedet me de generatione ista »[2]. Probaverunt me, ait, decies, hi autem vicies et decies decies.

Venit vocare mortuum ex sepulcro et interrogat: « Ubi posuistis eum »? Et lacrymatus est Dominus. Sed lacrymae ejus erant ut pluvia, et Lazarus ut frumentum, et sepulcrum ut terra. Emisit vocem suam, ut tonitru, mors hac voce exterrita est, Lazarus ut frumentum prodiit et terra Dominum suum vivificatorem prona adoravit. Dominus signis suis tempus opportunum assignavit, eaque temporis rationi accomodavit, quemadmodum et caeco ab utero matris se ipse obvium fecit. Mansit in illo loco, ubi erat, per duos dies, donec Lazarus moreretur. Resuscitavit Lazarum et ipse ejus loco mortuus est. Quum enim e sepulcro cum vocasset, et cum eo mensae accumberet, ipse sepultus est per symbolum olei, quod Maria in caput ejus effudit. Mors itaque et avaritia post quatuor dies contemptui fiebant. Rursus potestas mortis despiciebatur, quia Dominus mortuum ad vitam revocavit, ut mors sciret, Domino facile esse, post triduum[3] eam missam facere et a se discutere.

1. Marc. 9, 18.
2. Psalm. 94, 10.
3. I. e. triduum post suam mortem.

Os enim ejus qui clamando mortuum quatriduanum e sepulcro vocavit, promissis suis stabit, quod tertia die ipse se vivificabit et resurget. Contemptui erat et avaritia, quae in corde Judae Domino insidias struxit et triginta argenteis eum vendidit ; et Judas convictus est, quod non ideo, quia Dominus se Deum fecerat, eum tradere quaerebat, sicut nec cura pauperum eum incitavit, ut oleum unctionis vendere vellet.

Dominus itaque Bethaniam venit et amicum suum resuscitavit, se ipsum autem in symbolica unctione sepelivit. Gaudium paravit Mariae et Marthae atque opprobrium inferno et avaritiae ; inferno, quia non semper ipsum superabit, avaritiae, quia non in perpetuum eum vendet. Dixerat : « Post triduum resurgam », quod, si quis rem difficilem esse existimet, in illum quatriduanum respiciat, qui resurrexit. Dixit aliquid, quod difficilius est, quam hoc, ut per id quod in Lazaro perfecerat, id crederent, quod de se ipso dixerat.

Accedite et auferte lapidem. Qui mortuum vivificavit et vitam in eum reduxit, nonne et potuit aperire sepulcrum et auferre lapidem ? Qui discipulis suis dixerat : « Si habetis fidem, ut granum sinapis, dicetis monti huic : Transferre et transferetur a facie vestra [1], nonne hic lapidem ab ore sepulcri potuit removere ? Profecto, qui in cruce pendens voce sua petram et sepulcra scidit, potuit et verbo suo lapidem istum levare. Sed quia Lazarus amicus ejus erat, dixit : « Aperite vos ipsi », ut odor foetoris ejus nares eorum tangeret, et « solvite eum » vos ipsi ab eis quibus eum ligastis, ut opus manuum vestrarum cognoscatis.

Ideo tempore mortis Lazari Dominus ad hunc pagum se non contulit, ne dicerent : Pactum inter se constituerunt. Et si permittimus, omnes credent in eum et venient postmodum Romani et tollent gentem nostram, legem et locum istum. Quod dixerunt, quia potestati

1. Matth. 17, 19.

Romanorum subditi erant. Sed Dominus venit, et signis suis regnavit et totus mundus eum sequutus est. Forsitan, inquiunt, audient gentes, quod rex eis natus est, quia filium David eum vocarunt, et non tantum eum ita vocarunt, sed et voluerunt eum rapere et regem constituere. Quamobrem dicebant: « Cavete, ne Romani veniant et destruant urbem nostram et populum nostrum ».

Simon leprosus (Math. 26, 6) credidit et Dominus ei benefecit, et per fidem et beneficentiam lepra aufugit. Quomodo enim lepra in corpore Simonis permanere poterat, qui purificatorem leprae in domo sua recumbentem vidit? Quum humana Christi natura in domo Simonis recumberet, divina in corde ejus habitavit, sicut et in Simone cognomini [1]. Et quomodo mortua lepra potuit permanere ante Lazarum mortuum, qui vivificatus est et resurrexit? « Si fuisses hîc, ajunt, frater noster non esset mortuus » [2]. Ergo quomodo lepra laborare poterat Simon, quum purificator leprae in domo ipsius recumberet, et quomodo in eadem mensa esse poterant virtus lepram expellens, et lepra fugitiva? Forsitan idem evenit, quod de Zachaeo principe publicanorum legitur, cui Dominus dixit: « Hodie salus facta est huic domui » [3]. Pro sua hospitalitate mercedem accepit purificationem.

Et consilium ceperunt principes sacerdotum, ut et Lazarum occiderent (Ioan. 12, 10). Sed lex praecipit, ut, qui occidit, moriatur. Si autem hunc occiditis, nonne Christus potest eum denuo vivificare? Nonne potius vos timere oportebat, ne verbum illius oris vos occideret, quod Lazarum in vitam revocavit? Sed et Cain putavit: « Hominem occido et Deum decipio ». Homo occisus est, quia mortalis, Deus autem non est deceptus, quia omniscius.

Potuit venumdari unguentum istud trecentis denariis et dari pauperibus. Hoc

1. Cf. Luc. 2, 26.
2. Cf. Ioan. 11, 21.
3. Luc. 19, 9.

dixit Judas, quem Dominus, famem pecuniae in eo conspicatus, tamquam oeconomum et sacculi portatorem, pecuniae dispensandae praefecit, ut satiaretur, nec propter pecuniam fieret traditor. Expediebat enim eum furari argentum, quam creatorem argenti tradere. Cui enim illic opus erat sacculum [1], ubi praesto erat miraculum quinque panum azymorum, aut vini ex aqua, aut remedii dati oculis filii Timaei [2], aut illud miraculum, quod factum est in exactione didrachmatis? « Nolite gaudere, ait, quod daemones vobis subjiciuntur », quia et Judas Iscariotes daemones ejecit, sed « gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in coelis » [3]; Judas autem scriptus erat in terra cum crucifigentibus Dominum.

Judas daemones expulit, ut ipse Domini adversarius collegis suis crucifixoribus explicaret, num Dominus vere per Belzebub expelleret daemones, et ut traditor confunderetur, si daemones ipsum, qui fur erat, timerent et exirent, quum fur argenti dominum argenti non timeret. Attamen fortassis haec perpendit ideoque laqueum sibi injecit et se suspendit [4]. Et ne dicerent, Dominum traditorem sibi elegisse discipulum idque ignorasse, dixit: « Unus ex vobis diabolus est » [5], nomen Judae adhuc celans, ne eum diffamaret, si vellet poenitentiam agere. Quum eis pedes lavaret, non fecit initium a Simone, principe discipulorum. Quum enim princeps angelorum illico [6] reliquit honorem gloriae suae, quomodo princeps discipulorum in gradu honoris sui potuisset consistere? Nonne potius didicisset imitari principem angelorum [7]?

1. Subintelligitur: « nisi Judae emendando ».
2. Marc. 10, 46.
3. Luc. 10, 20.
4. Sic in cod. B, ubi particula negationis deest. Textum cod. A Aucher ita reddit: « Fortasse non memoravit hoc et seipsum suffocavit ».
5. Ioan. 6, 71.
6. Subintellige: Quando ad gloriam principatus evectus erat.
7. Ad verbum: Sed potius datum ei esset, imitari principem angelorum.

Honos supremae naturae Domini honorem humilitatis naturae suae humanae induerat, quando eorum pedes lavabat.

## CAPUT XVIII.

Solvite asellum et adducite ad me (Math. 21, 2). In praesepi Iesus exordium fecit, super asello ad finem pervenit. Bethlehemi in praesepi, Ierosolymis in asello. Quumque Ierosolymam veniret, videns eam, coepit flere super eam. Abraham vidit diem ejus et gavisus est. Christus autem vidit Ierosolymam et flevit super eam. Flevit autem, quia illa gavisa non erat. Si cognovisses tu saltem hunc diem pacis tuae, sed abscondita est pax a facie tua. Abraham pater tuus solummodo diem meum vidit et gavisus est ; tu vero vidisti diem et dominum diei. Iste [1] est, qui flevit pro eis qui non gaudebant de suo auxiliatore. Flevit etiam propter ruinam futuram civitatis, ut et dixit : « Flete super vos ipsas, quia venient dies, ut dicant montibus : Operite nos » etc. [2]. Vidit Abraham diem meum et gavisus est [3], nimirum per agnum in arbore, qui solvit et liberavit Isaac ligatum, ut et Dominus vincula gentium solvit per crucem. Balaamo abscondebatur aspectus angeli, populo autem illi, qui mysterium Balaami noverat, abscondebatur dominus pacis. Illi abscondebatur pax, his autem Dominus pacis.

Clamabant pueri et dicebant : Benedictio filio David. Principes autem sacerdotum et Scribae irati dixerunt : Non audis, quid isti dicunt? i. e. si tibi nostrae [4] laudes, non placent, jube eos tacere. In nativitate et in morte

1. Sc. Dominus diei.
2. Luc. 23, 28-30.
3. Ioan. 8, 56.
4. Id est : Populi nostri.

ejus pueri innocentes coronae passionis ejus inserti sunt. Infans Ioannes in utero matris ante eum exultavit, et infantes in nativitate ejus occisi et quasi uvae convivii ejus nuptialis facti sunt. Iterum pueri ei acclamabant benedictionem, quum ad tempus natale suae mortis pervenisset [1]. Conturbata est urbs Ierusalem in nativitate ejus, ut et turbata et anxiata est illo die, quo in eam intravit. Quum Scribae clamores puerorum audissent et aegre ferentes ei dixissent: Increpa homines, ut omnino taceant, respondit: « Si isti tacebunt, tamen lapides clamabunt ». Illi igitur praetulerunt, ut pueri clamarent, non lapides, ne forte clamante natura lapidum obcaecati resipiscerent. Verumtamen hic clamor lapidum ad eundem finem tempori crucifixionis ejus reservabatur, quo tacentibus loquela praeditis res mutae magnitudinem Domini praedicarunt.

Nunc judicium est mundi, nunc et princeps hujus mundi ejicitur foras (Ioan. 12, 31). Non princeps rerum creatarum et omnium hominum, sed princeps mundi vocatur. Quia foras ejicitur, patet, quod non est substantia aeterna et quod potestate caret. Quomodo foras ejectus sit, Ioannes explicat: « Ecce, ait, agnus Dei, qui tollit peccata mundi » [2]. Princeps autem vocatur, uti dicitur: « Dii gentium non sunt dii » [3], et: « Non est vobis colluctatio et pugna cum carne et sanguine, sed cum potestatibus et cum principatibus et cum dominatoribus terrae tenebrarum harum, qui sunt sub coelo » [4]; et ut dicit: « Quorum mentem deus hujus mundi obcaecavit, ne crederent » [5]. Eodem sensu dicitur: « Princeps mundi ejicitur foras ». In alio quoque loco dictum est: « Quo-

1. Ad verbum: Quum ad tempus nativitatis suae occisionis pervenisset. Nativitas Christi per mortem resurrectio ejus est.
2. Ioan. 1, 29.
3. Cf. Psalm. 95, 5.
4. Ephes. 6, 12.
5. II Cor. 4, 4.

rum Deus venter suus est et gloria confusio ipsorum „ [1].

Nos audivimus in lege, quod Christus in aeternum vivit (Ioan. 12, 34). Idem est illud : « Non deficiet sceptrum, donec veniet is cui proprium est illud „ [2], et : « Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus, sicut me, ipsum audite „ [3]. Tu autem dicis, filium hominis oportet elevari. Illi nempe hoc loco futurum finem mundi intelligunt, quia dicunt, unum tantum esse adventum. Aut de omnibus prophetis [4] dixerunt : « Nos audivimus in lege „, sicuti illud : « Ut scriptum est in lege eorum : quod odio habuerunt me sine causa „ [5], quod in David scriptum est : « Odio, ait, injuste me oderunt „ [6], et : « Peccatores, qui oderunt me sine causa „ [7].

Ubi rex, ibi et regnum est. Ideo dicit : « Regnum Dei in corde vestro „ (Luc. 17, 21). Non est, ait, regnum diebus discernendum, quia illi tempora observabant et aetates, quibus Christum oriturum putabant. Fama enim de eo jam ante triginta annos orta erat, et rumores de eo propter ejus nativitatem multiplicati sunt. Et illis annis surrexit Theodas ejusque socii, quos Christus latrones vocavit, quoniam praevenerunt ad furandum et coeperunt, ait, nomen Christi passim sibi arrogare [8]. Ideo Dominus eos confudit, quia non in abscondito, sed observationibus [9] quaerebant

1. Phil. 3, 19.
2. Gen. 49, 15. Vox « sceptrum „ in hoc citato deest.
3. Deut. 18, 18.
4. Ad verbum : de omni prophetia. S. auctor prophetia h. l. pro scriptis Prophetarum ponit, et in sequentibus exponit, scripta Prophetarum nonnunquam sub nomine legis intelligenda esse.
5. Ioan. 15, 25. In cod. B pro « lege ejus „ recte positum est « lege eorum „.
6. Psalm. 24, 19. Ad verbum est : odium injuste etc.
7. Psalm. 34, 19.
8. Cf. Math. 24, 5.
9. Aucher vertit : « Quia clam et jejuniis eum quaerebant videre „. Sed պահել in praecedentibus significat « observare „, scilicet, signa mirifica externa, quare eundum sensum hoc loco retinendum censui.

eum videre. « Gaude, filia Sion, ecce enim rex venit ad te [1], et: « Orietur stella ex Jacob » [2], et rursus: « Oriri faciam vobis, qui colitis nomen meum, solem justitiae » [3], et iterum: « Hic sanctificat populos multos » [4]. Dominus incepit confundere illos, qui occultis insidiis venerant. « Fures sunt, ait, et latrones » [5], quoniam non palam se monstrarunt. Ecce Dominus gregis, quando in suum ovile per januam i. e. in haereditatem suam intrabat confidenter, per signa et miracula, et magna cum virtute venit. Et ecce, intus in corde vestro est per testimonia sua, nec se abscondit, ita ut ipsum quaerentes observationibus et disquisitione opus habeant. « Si non facio opera, ne credatis » [6]. Illi ergo ostendebant, quod non erant Christus, et ideo in abscondito homines furari quaerebant. Superbia fastidiosa, quae in eis erat, et mendacium et simulationes, quas componebant, eos arguebant; ideo se manifeste monstrare timuerunt. Theodas dixit, se esse magnum aliquem. Ut ei adhaereant, faciat eis experimentum. Si vero is non est, quem se dixit, quasi de alio id dixisse putetur, quod ipse de se dixerat. Inde quoque exiit illud dictum: Si Christus veniet, nemo scit, unde sit [7]. Quod refutatum et convictum est, quia dicebatur: « Ex vico Bethlehem nasciturus est Christus ». Et quia multi Christi surrexerunt, ambigui erant in suis cogitationibus et dixerunt: Forsitan seniores nostri cognoverunt, quod hic verus sit Christus, et non ceteri [8]? Propterea dixit eis: « Si alius veniet in nomine suo, huic credetis » [9]. Quia multi ipsum sequebantur, prop-

1. Zachar. 9, 9. Cf. Math. 21, 5; Ioan. 12, 15.
2. Num. 24, 17.
3. Malach. 4, 2.
4. Cf. Is. 53, 11.
5. Ioan. 10, 8.
6. Ioan. 10, 37.
7. Ioan. 7, 27.
8. Pro « et non ceteri » ad verbum legitur: « quam omnes ». Subintellige eos, qui Christi nomen sibi arrogaverant. Cf. Ioan. 7, 26.
9. Ioan. 5, 43.

terea explanavit, adventum suum publice et solemniter eventurum esse, non sicuti sua nativitas fuerat [1]. Si dixerint vobis: Ecce hic est, nolite credere. Sicut fulgur, quod resplendet. Sicuti fures [2] venerunt, quando natus est, ita et latrones tempore adventus ejus venient et rumores increbescent. Nolite ergo exire ad quaerendum eum, ne sequamini voluntarie [3] illum perturbatorem, nec ipsi capiamini. Quia ergo ipse est dominus regni, placuit ei, purificare in se ipso regiones excelsas et superiores, simulque purificare inferiores. Quod autem dicit: « Mundabit domum regni sui ab omni scandalo » [4], intellige de terra et rebus creatis, quas renovabit, ibique justos suos collocabit.

Vae vobis Legisperitis, qui abscondistis claves (Luc. 11, 52), quia occultarunt cognitionem revelationis Domini, quae in prophetis erat. Si enim Dominus, ut ipse testatur, porta est, patet, etiam dari claves cognitionis ejus. Per hanc portam vitae Scribae et Pharisaei noluerunt intrare, ut et dixerat: « Ecce, regnum intra in corde vestro, est » [5], quod dixit de se ipso, qui in medio eorum stabat. Peccatum astute [6] suis vasis utens stetit ad pontem, qui traducit ad domum vitae, ne animae et spiritus [7] in ea quiescerent. Abscondistis, ait, claves.

Veniet omnis sanguis justorum, quia nempe illi occiderunt vindicem occisorum justorum, etiam horum vindicta de manibus eorum exigitur. Qui enim judicem occidit, amicus est homicidarum, quia cum eo amovit vindictam et viam dilatavit occisoribus. A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae, sed non tantum usque

1. Sententia ex cod. B correcta.
2. Sc. Herodes et reliqui adversarii Domini.
3. Ita legitur in cod. B.
4. Math. 13. 41.
5. Luc. 17, 21.
6. Ad verbum: « adinventionibus ».
7. Scilicet hominum, qui in regnum coelorum intrare volebant.

ad illud tempus, ait, sed et usque hunc diem. Quia ipse in medio eorum stabat, sanguinem suum de eis non vindicavit, donec eum occidissent, ne dicerent, praedestinatum fuisse, ut hoc fieret. Quare de eis sententiam tulit propter praecedentes justos occisos, ut eos moneret, ne et sequentes occiderent, deditque locum poenitentiae de sua morte, quem lex crimini occisionis prophetarum non concessit. Lex enim dicit: Qui occidit, moriatur, non autem: Vide, ut convertatur et tunc ei remittetur. Verumtamen de sua occisione poenitentiam, si velint, Dominus eis concessit. Sed populus per occisionem posterorum testatus est, se praecedentium caedi consentire et participare, et per confessionem proprii oris a voce veritatis defecit [1], quia patres suos caedis prophetarum accusare non erubuit [2]. Et quemadmodum populus filios suos nondum natos caedis Salvatoris participes et complices fecit [3], ita et Christus malam voluntatem eorum, quamvis nescirent, caedis Prophetarum participem et complicem reddidit, quoniam cognoverunt, Filium esse dominum vineae, et sciverunt, eum esse vindicem, et tamen eum occiderunt [4].

Praeveniens praecepit eis Moyses, ut in uno loco sacrificia sua offerent, et in eo agnum immolarent typumque redemptionis peragerent. Ideo nec Herodes Dominum cum infantibus Bethlehemiticis occidere non potuit, nec Nazaraei, quum de monte eum praecipitarent, vita eum privaverunt, quia Dominus mandatum non habuit, extra Ierusalem moriendi. « Non oportet, ait, prophetam perire extra Ierusalem [5]. Vide, licet Ie-

1. I. e. noluit dicere veritatem.

2. Verba ita se habent: « quia vocavit in occisionem Prophetarum patres suos, nec erubuit ».

3. Haec spectant ad Math. 23, 29-30: « Vae vobis, Scribae et Pharisaei, qui aedificatis sepulcra Prophetarum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum ».

4. Cf. Math. 27, 25: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros ».

5. Luc. 13, 33.

rosolymis eum occiderent, Herodem quoque et Nazaraeos mortis ejus reos fuisse, et vindictam occisionis ejus etiam ab eis exactam esse. Ex quo discas, non tantum habitatores urbis Ierusalem poenas sanguinis ejus dare debere, sed et omnes, qui eum viderunt et rejecerunt, mortis ejus reos argui. Dicendo: Inter templum et inter altare, populi malitiam ostendit, quia ne locum quidem expiationis reveriti sunt. Quoties volui vos congregare? quod idem est ac illud: « Ecce hi tres anni sunt, ex quo venio, quaerens fructum ex hac ficulnea et non invenio » [1].

Si quis audierit verba mea et ea non observaverit, ego non novi eum (Ioan. 12, 47) [2]. At ubi est illud: « Pater neminem judicat, sed omne judicium Filio tradidit » [3]? Sed quia medicus est hominum, dicit: Non veni in hunc mundum, ut judicem mundum, sed ut salvem mundum. Et ut ostenderet, omne judicium ad ipsum pertinere, haec docet: Qui non suscipit verba mea, verbum, quod locutus sum, eum judicat.

Quando videbitis signum terroris desolationis ejus (Math. 24, 15). Quum urbs Ierusalem saepius diruta, sed iterum aedificata est, hoc loco Dominus de interitu pleno dirutionis ejus et de profanatione sanctuarii ejus loquutus est, quoniam post hac illa in suo interitu manebit, i. e. oblivioni tradetur. Romani intra templum vexilla sua statuerunt, in quibus erat figura aquilae, ut et dictum est: « Super alis immunditiei et perditionis » [4]. Signum terroris desolationis ejus, quae dicta est a Daniele propheta. « Alii dicunt, signum dirutionis ejus fuisse, quod Romani caput porci apportandum

1. Luc. 13, 7.
2. Aucher recte conjicit, pro « novi » legendum esse « judico »; nam haec verba in Armeniaco simillima sunt, et in nullo textu Evangelii habetur « novi ».
3. Ioan. 5, 22.
4. Dan. 9, 27.

et per Pilatum intra templum collocandum curarunt. Qui super tecta stat etc.; non enim salvabuntur, ut alio tempore, quia de eis sollicitudinem et curam Deus [1] non habebit. Vae praegnantibus etc. De iis loquitur, quae in obsidione Ierosolymorum a Romanis cruciatae sunt. Erit angor populo isti, adeo, ut etiam mulieres filios suos comederent.

Orate et petite, ne sit fuga vestra in hieme, nec in die sabbati, videlicet, ne in captivitatem abducamini, quo tempore non licet operari. Ut hiems sine fructibus est, et sabbatum sine operatione, ita cavete, ne vos abducamini, quando nec fructum habebitis, nec operationem. « In hieme, ait, et sabbato », quorum unum est necessitatis, alterum voluntatis; hiems necessitatis, sabbatum voluntatis. Sed neque aliorum coactio, neque propria voluntas ab opere Domini Dei vestri vos amoveat. Porro per hiemem et sabbatum indicavit, mala eis instare. Et postquam eis iram suam monstravit atque ostendit, quod haec juste super eos venient, statim ex misericordia denuo eos docuit, ut orationi vacarent, non ut decretae graves poenae eis instantes averterentur, sed ut tempus et dies calamitatis magnae eis impendentis mutaretur. Dominus enim ex miseratione in suo sermone utrumque conjunxit, primum, quod angustiae certe venient, vosque fugietis, ut praedestinatum est, et alterum, ut orent, ne hi casus tristes aut in hieme vos invadant, qua salvari et has angustias fugere nequeatis, aut in sabbato, ne in quiete vestra angustiae in vos irruant.

Curam de legibus tamquam filius legis monstravit et ordinavit, ut lex Moysis non solveretur. Ne forsitan, ait, si innocentes et simplices in vobis inveniantur, ita sabbatum tempore belli observent, sicuti pactum foederis observare debetis, neve vos occidant, sicuti eos qui in illo antro [2] occisi sunt. Rursus : « In hieme et

1. Subjectum hoc supplevi ex contextu.
2. I Macch. 2, 31-38.

sabbato » ; hiems enim quies est omnis laboris unius anni, et sabbatum quies septem dierum, id est, quies in die adventus ejus, ut in alio loco dicitur : Hucusque stat sabbatum Dei [1], quia sabbatum finis est operum : Orate, ut digni sitis eximi ab his omnibus, quae ventura sunt. Haec quoque, ut nonnulli explicant, de punitione urbi Ierusalem instante Dominus dixit, iisdemque verbis finem mundi significavit. Erit vobis fuga, quia trepidatio et angor in illa resurrectione apprehendet omnes, qui non perfecti ad eam veniunt. Alii dicunt, ad solos Apostolos haec dicta esse, ut, si feria sexta sol defecturus sit, confortarentur. Porro ait : « In sabbato », quia de sabbato Judaei jactabantur ; et : « in hieme », quia frigida est.

Et si Deus non abbreviasset dies illos, non salvaretur omnis caro. Non forsitan numerus dierum cum suis horis minuitur, sed ipsum tempus breve est propter electos, ne angustiae eorum multiplicentur, sed abbrevientur i. e. redemptio veniat.

Illud momentum nemo scit, nec Angeli, nec Filius. Quod dixit, ut eos impediret, ne eum de momento adventus sui interrogarent. « Non est vestrum, ait, scire dies et tempora » [2], sed abscondidit illa, ut vigilemus et quivis nostrum existimet, quod suo tempore veniet. Si enim revelasset, quo tempore venturus sit, adventus ejus insulsus factus esset, nec amplius desideraretur a gentibus et saeculis, in quibus revelabitur. Dixit, quod veniet, sed non dixit, quando veniet, et ita omnes generationes et saecula ardenter eum expectant. Quamvis enim Dominus signa adventus sui constitueret, nequaquam tamen eorum terminus plane intelligitur, nam haec signa multiplici mutatione venerunt et transierunt, immo et adhuc perstant. Extremus enim ejus adventus priori similis est. Quemadmodum enim justi et prophetae eum expectarunt, putantes, eum suis diebus revelari, ita etiam ho-

1. Ad Hebr. 4, 9.
2. Act. Ap. 1, 7.

die quisque fidelium suo tempore eum suscipere desiderat, quia diem adventus sui non manifestum fecit: idque maxime hanc ob causam, ne quis illum, cujus potestati et dominio numeri et tempora subditi sunt, fato et horae subjectum existimet. Et quomodo id quod ab ipso constitutum est, Domino sit absconditum, qui et signa adventus sui ipse eis indicavit? Quum ergo et scriptum sit, eum haec scire, quare illud legunt, et hoc omittunt? Aut num forse tempus scivit, et momentum nescivit? Sed ecce tempus momentum est et momentum tempus. « Haec est, ait, nunc os ex ossibus meis » [1]. Momentum enim est quasi ictus oculi [2]. Et « in illo tempore, ait, et in illo momento exultavit Iesus in spiritu suo » [3], et: « Vigilate et orate, quia nescitis tempus » etc. [4].

Diem illum nemo scit, neque angeli, neque Filius, ut illud: « Discedite a me maledicti Patris mei in ignem aeternum, quia non novi vos » [5]. Sicut ergo novit malos, sed propter eorum opera dicit: « Non novi vos », ita, etsi momentum adventus sui novisset, tamen, ne eum amplius interrogarent, de eo dixit: « Non novi illud ». Sed agedum, hoc ex te quaerimus: « Num Filius novit Patrem, nec ne »? Certe eum novit, quum scriptum est: « Nemo novit Patrem, nisi Filius, et Filium nemo novit, nisi Pater » [6]. Quomodo jam momentum adventus sui non novit? Si Patrem novit, quid, quaeso, Patre majus est, quod nesciret? Aut quae sunt causae, ex quibus momentum adventus ejus Pater ei absconderit? Forsitan, ut hoc modo minor Patre appareret, et ejus natura manifestaretur? Si hoc ita se haberet, consequen-

1. Gen. 2, 23. Sensus est: Ut Eva os ex osse Adami, ita momentum pars est temporis.

2. Ad verbum « palpebrarum ». Propter haec verba nomen *חרף* verti « momentum », et non « hora », ut Aucher, utramque enim significationem haec vox habet.

3. Luc. 10, 21.

4. Marc. 13, 33.

5. Math. 25, 41; et 7, 23.

6. Math. 11, 27.

ter, quo tempore hoc momentum ei revelatur et tuba canitur, ut de coelo descendat, evadit sicut Pater. Porro scriptum est : « Consilium Dei Christus est, per quem revelata sunt omnia occulta sapientiae et scientiae » [1]. Si omnia occulta per eum revelata sunt, quomodo momentum adventus sui ipsi occultum esse potest ? Et si diem, quo veniet, nescit, etiam eos dies, quibus non venit, nescit. Et Spiritus ea quae ab ipso condita sunt, novit, ut et illi affirmant, quia profunda Dei scrutatur [2], Filius autem haec nesciat ? Illi de momento eum interrogaverant, et ipse diem in medium protulit et memoravit dicens : « Non novi eum », primo, ut eos ab interrogando detineret, et dein, ut signa a se data utilia fierent, sicuti morbus in aegroto [3], quia diem mortis ignorat. Itaque his verbis signa sua honoravit, ut ex illo die in posterum omnes generationes et saecula existimarent, suo tempore adventum ejus futurum esse.

Vigilate, quia, quando corpus dormit, natura nobis dominatur et non ex nostra voluntate in nobis agitur, sed juxta impulsum naturae opus vi perficitur. Et quando animae gravis sopor dominatur, puta, pusillanimitas aut tristitia, inimicus ei dominatur et per eam id facit, quod illa non vult. Naturae dominatur vis, animae vero inimicus. Vigilantiam ergo, quam Dominus mandavit, utrique parti hominis praescripsit, corpori, ut a somnolentia, et animae, ut a torpore et timiditate caveret, ut et dicit : « Excitemini per justitiam » [4] ; et : « Surrexi et ego tecum sum » [5] ; et iterum : « Ne sitis pigri » [6], et ideo pigritiam in munere, quod habemus, fugiamus.

Duo erunt in agro, in uno lecto, quia subito haec in eos irruent in devastatione Ierosolymo-

1. Col. 2, 23.
2. I Cor. 2, 10.
3. Ad verbum : « ad aegrotum », ut et Aucher vertit.
4. I Cor. 15, 34.
5. Ps. 138, 18.
6. Cf. Rom. 12, 11.

rum, ut illud : « Si ibi manebunt decem viri »[1]. Aquilas autem Dominus appellavit hostes, qui venient contra hanc urbem, quae ipsa est cadaver, quemadmodum et dicitur : « Velociores sunt equi ejus, quam aquilae »[2]. Alii de corpore et anima hoc explicant. Iterum id intelligitur de fine mundi, quo timor et tremor irruet in omnes homines, ut sint parati, sicut dicit : « Sint lumbi vestri praecincti »[3]. Aut de justo et peccatore hoc valet, quia neuter se poterit liberare. Molinam appellavit mundum, aquilas vero alis suis celeribus justos vocavit. Quis erit procurator, servus fidelis, beneficus et sapiens[4]? Quamvis haec omnia Dominus de eo testatus sit[5], tamen, si non erit fidelis in eis quae ei commissa sunt, eum abscindet medium, et separabit eum et partem ejus ponet cum hypocritis et infidelibus, et ibi erit ei fletus oculorum et stridor dentium.

Quinque ex eis erant fatuae et quinque prudentes (Math. 25, 1-14). Sed prudentiam non vocavit earum virginitatem, quia omnes illae erant virgines, sed earum opera bona vocavit prudentiam. Si enim sanctitati angelorum aequalis est virginitas tua, vide et animo perpende, angelorum sanctitatem puram esse ab invidia et aliis vitiis. Sicuti vicisti fornicationem, ita cave, ne murmuratione et ira vincaris.

Item, qui talenta sua (Math. 25, 15-30) non reddidit fructuosa, ab eo dona fructuum tanquam a terra sterili ablata sunt. Terram, de qua dixit : « Abscondit illud » comparavit cum illa terra, quae fructum non dedit. Auferte ab illo talentum, i. e. fidem, quia vitam justam fidei sibi non acquisivit. Non in eo qui quinque talenta acceperat, Dominus ostendit re-

1. Gen. 18, 32.
2. Ier. 4, 13.
3. Luc. 12, 35.
4. In cod. B : « fidelis, sapiens et beneficus ».
5. Sic verba se habent. Sensus est : Licet servus, ipso Domino teste, fidelis, beneficus et sapiens sit, tamen etc.

probationem, ne dicerent: « Supra vires nobis onera imposuit ». Illum notavit, qui unum talentum acceperat, ut ab eo, qui quinque accepit, argueretur is qui unum accepit. Sint lumbi vestri praecincti (Luc. 12, 35), i. e. prompti sint per continentiam. Et accensae lucernae vestrae, siquidem hic mundus velut nox est et luce justorum indiget, ut dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, « qui in coelis est » [1].

Manus sapientes in sua dulcedine se humiliaverunt, ut pedes lavarent traditoris sui, qui pro lotione claves crucis eis reddidit. Et creator omnium rerum eo usque se ipse humiliavit, ut viles pedes lavaret, attamen, hoc non obstante, Pharisaeis odio erat et sacerdotes eum persequebantur. Sicut per eum omnia condita sunt, quando esse coepissent, quum ipse esset mediator, ita et eorum salus, quae per ipsum fiebat, incrementa accepit, quia illa jam ex prima haereditate ei subdita erant. Et quoniam creaturae humiliatae et dominio maledictorum subjectae sunt, Dominus se ipse sub eis humiliavit, ut eas omnes elevaret et sursum ferret, sicuti et ille, qui primus eas humiliavit, per consilium suum quasi curam de iis gerens et tamquam moderator ad eas ingressus est. Itaque superbia et arrogantia nihil prorsus potest efficere, nisi per violentiam operetur. Omnia bona sub charitate conclusa sunt et conclusa tenentur et custos thesauri illorum est charitas.

## CAPUT XIX.

Unus ex vobis, qui panem mecum edit, iste est, qui me tradet, et ecce, manus traditoris mei mecum in mensa extensa est, et filius hominis vadit, ut de eo scriptum

1. Math. 5, 16.

est. Quibus verbis iniquum hunc perditorem in charitate deplorabat. « Melius ei erat, si natus non fuisset ». At si Dominus crucem ascendere voluisset, in quam partem hoc verbum inclinabimus, num ad praescientiam, an ad inscientiam, an ad fallaciam, quum dixit: « Melius ei erat, si natus non fuisset »? Quae sunt rationes, quae impedierunt, quominus poenitentia acceptationem mereretur [1]?

Si hae sunt tuae irrisiones et tua ludibria, exemplum tibi sume serpentem et noli vituperare et arguere me, i. e. me pro magistro meo. Si enim Adam ipse mandatum transgressurus erat, quam gloriam tu congeris in blasphemias illius, qui os serpentis pulvere implevit et eum decurtavit et consolamine ambulationis privavit [2]? Si autem Adam non erat transgressurus sine sollicitante, juste poena in caput serpentis recidit. Etsi concedamus, Adam ad peccandum praeparatum esse per eum qui fuit causa peccati, tamen, quia istam praeparationem prius suscepit, Adam jure poenas luit [3]. Quinimo Adam ob hanc in tentatione in eo inventam mollitiem, etiamsi serpens ansam non praebuisset, in alias transgressiones delapsus esset, quin tentationem subiret. Ita et ille, qui crucem ascendit, forsitan sine ista causa occasionali in crucem ascensurus erat, licet id non sit verisimile, quia Scripta [4] Hebraeorum et alia plura hoc nos credere non sinunt.

Charitas arcanum publicavit, et timori [5] revela-

1. Praecedentia sunt verba cujusdam haeretici, forsitan Marcionis.

2. Cf. Comment. s. Ephr. ad Gen. 3, 15. Sensus est: Si Adam ipse sine tentatione diaboli peccasset, quae gloria maneret Satanae, per quem serpentis os pulvere impletum et ipse serpens pedibus orbatus est?

3. In cod. B: Etsi concedamus, Adam ad peccatum praeparatum esse per eum, qui fuit causa, ut praeparationem prius acciperet, tamen jure punitus est.

4. Ad verbum: « Lectiones Hebraeorum », i. e. vaticinia antiqui Testamenti, quae Christum per « populum suum » et propter peccata cruci affixum iri praedixerunt.

5. I. e. Ioannes revelavit Petro.

vit, quia, dum charitas in sinu Domini secura jacebat, timor saepius ei annuit.

Sicuti verum et certum est, Dominum, quum discipulis suis panem daret, mysterium corporis sui eis dedisse, ita quoque credendum est, a Domino panem, suo occisori datum, in mysterium occisionis corporis sui traditum esse. Et intinxit eum, ut sic participationem indicaret caedis suae plene patratae, qua corpus sanguine ipsius intinctum est. Aut ideo intinxit panem, ne cum pane etiam testamentum daret. Lavavit prius panem et tunc illum ei dedit. Ablutum est ab hoc pane prius testamentum, quia per novum testamentum praeparatus erat. Avaritia Judam a perfectis membris Domini separaverat, ut et Salvator placide docuit, eum non de corpore suae ecclesiae, sed pulverem esse, qui pedibus discipulorum suorum adhaesit. Ideoque, qua nocte illum ab his separabat, sordes pedibus eorum adhaerentes abluit, ut nos doceret, Judam, qui, qua ultimus ex duodecim Apostolis, quasi pes corporis videbatur, a pedibus Apostolorum tanquam sordem igni destinatam a se aqua ablutum esse. Eodem modo Dominus Judam per aquam a discipulis separavit, quum panem aqua intinctum ei daret, quia non erat dignus illius panis, qui una cum vino duodecim Apostolis dabatur. Non enim licebat, ut is qui eum tradebat in mortem, per panem acciperet eum qui salvat a morte.

Ex illo momento, quo discipulis suis corpus suum fregit, et corpus suum Apostolis dedit, numerantur tres dies ejus, quibus cum mortuis computabatur, ut et Adam, qui, postquam de illa arbore comedit, multis annis vixit, quamvis propter mandati transgressionem mortuis annumeraretur, quia Deus ita dixit: « Quo die comederis, morieris »[1]; et ut illud: « Quadringentis annis sit semen tuum in Aegypto »[2]; nam ex illo die, quo hoc verbum dicebatur, anni isti computati

1. Gen. 2, 15.
2. Gen. 15, 13.

sunt. Idem de Domino dicendum est. Aut feria sexta pro duobus diebus, et sabbatum pro uno die positum est. Quum corpus suum in mysterium mortis suae eis manducandum daret, in ventrem eorum intravit, sicuti postea in terram. Et quia Adam non benedixit, quando inobediens fructum decerpebat, benedixit Dominus et fregit. Et panis intravit [1] et compensavit damnum aviditatis, qua Adam mandatum Dei transgressus est. Aut tres dies numerantur de descensu et ascensu i. e. feria sexta, sabbatum et dominica. Et dixit :

In posterum non bibam ex hoc genimine vitis usque ad regnum Patris mei, ut ostenderet, se praescire, tempus prope esse, quo ab eis discessurus sit. « Usque ad regnum Patris mei », i. e. usque ad resurrectionem meam. Quod docet Simon in Actibus Apostolorum dicens : « Post resurrectionem per quadraginta dierum tempus edimus cum eo et bibimus » [2], scilicet illa die prima hebdomadis, ut et illud : « Non gustabunt mortem, donec videbunt regnum Dei » [3], quod post sex dies evenit.

Ecce Satanas accepit permissionem, cribrandi vos ut triticum, et ego oravi Patrem pro te, ne deficiat fides tua. Non dixit : Oravi pro te, ut non tenteris, sed ne deficiat fides tua.

Ostende nobis Patrem et sufficit nobis. Philippus petiit, ut corporaliter videret Patrem, i. e. corporalibus oculis, uti priores justi, qui viderunt angelos et archangelos. Ideo Dominus de divina visione, quae mentis oculis percipitur, ei responsum dedit ; non enim dixit ad eum : « Non vidistis » quia ipse exteriori visu ei apparuerat ; sed ait : Non cognovistis me, quia majestas ejus abscondita erat, i. e. si me cognovissetis, quatenus non sum manifestus, etiam vidissetis Patrem meum, qui non apparet. Et

1. Cf. Rom. 5, 12 : « Peccatum intravit in hunc mundum ».
2. Cf. Act. Ap. 10, 41.
3. Math. 16, 28.

Apostolus de Domino loquens testatur : « Ipse est imago formae Dei invisibilis » etc. [1].

Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet. Ubi ergo est illud : « Non est major discipulus magistro [2] ? Sed ecce, Moyses tres tantum reges interfecit, Josue autem triginta ; et ille, licet supplex rogaret, in terram promissam non intravit, Josue autem intravit et haereditatem distribuit. Samuel major erat omnibus suis coaevis. Elisaeus duplum magistri sui post ascensum ejus accepit, idque in similitudinem Domini Salvatoris nostri, cujus discipuli per signa sua duplo majus operati sunt.

In omnibus hominibus suam partem habebat inimicus ; tantum in Domino non habuit, qui dixit : Apud me non invenit quidquam suum, et ego vici mundum. Sed dono judicii, quod accepit Dominus, discipuli quoque participant. Dixit enim, illos esse judicaturos [3], ut ostenderet, non solum Deum vicisse et judicare, sed et homines vicisse et judicare eos, qui, ut illi, vincere potuissent, sed recesserunt : Viri justi, ait, judicabunt eos [4].

Qui non habet gladium suum, emat sibi gladium, quod dixit, ut eos instrueret humilitate. Ecce unum ex illis gladiis Simon habebat, ut, quum zelum suum gladio ostensurus esset, Dominus eum doceret verba Scripturae : « Qui percutit maxillam tuam » [5]. Haec enim verba Simon in sua charitate oblitus erat. Aut hoc dixit, ut ei ostenderet, quod non tantum, quando hujusmodi res non habeamus, aut habere non possimus, ab eis abstineamus, sed et tunc, quando eas habeamus eaeque, ut gladius, qui in manu tua est, in promptu sint, nihilo minus istis non utamur. Et ut patefaceret, se admonitionis causa, non autem propter bellum de gladiis sermonem fecisse, addidit :

1. Col. 1, 15.
2. Luc. 6, 40.
3. Luc. 22, 30.
4. Ezech. 23, 45.
5. Math. 5, 39.

Sufficiunt duo. Si enim id de pugnâ dixisset, omnes arma capere oporteret. Quod dixit, quia ex Judaeis erant, qui gladium et sanguinem sitiebant, ut illi duo ex eis. Videns iram patrum in eis latere, capessivit occasionem, ut absconditam iram eorum manifestam et eis detestabilem faceret eorumque ex cordibus expelleret.

Quum dies operis sui in Judaea consummati essent, vertit faciem suam, ut irent Ierosolymam [1], et illos duos iracundos a se rejecit, ut etiam Judae Iscariotae praevertens dixit: « Vae homini illi » [2]. Quod si iste poenitentiam egisset, ut Simon Petrus, et ut illi duo admonitionem susceperunt, ab hoc maledicto liberatus locum et thronum suum haereditasset. Porro ex eo, quod gladios memoravit Dominus, discant, diem et horam, qua tradetur, eum novisse, et amici doceantur humilitatem et inimici violentiam [3].

Hoc est praeceptum meum (Ioan. 15, 12). Num unum tantum est praeceptum? Sufficit hoc, et unum solum, quod tanti est momenti. Quamvis unum sit, tamen et dicit: « Non occides, quia, qui amat, non occidit »; et dixit: « Non furtum facies », quia qui amat, etiam suum dat; et dixit: « Ne mentiaris », veritatem enim pro mendacio loquitur diligens [4]: « Mandatum aliquod, ait, novum do vobis » [5]. Et si verba: « Hoc est mandatum meum », non intelligis, voca Apostolum, qui haec tibi explicabit dicens: « Finis praecepti ejus est charitas » [6]. Et quis est tenor hujus praecepti? Sine dubio hic: Quodcunque vultis vos, ut faciant vobis filii hominum, ita et vos faciatis [7]. Diligite, ait, invicem, et hanc mensuram ponite: « Si-

1. Cf. Luc. 9, 54.
2. Marc. 14, 21.
3. Sensus fortassis hic est: Exemplo Christi sponte se morti tradentis amici discant imitari ejus humilitatem et inimici de sua crudelitate convincantur.
4. Haec et sequens sententia ex cod. B emendatae sunt.
5. Ioann. 13, 34.
6. Timoth. 1, 5.
7. Math. 7, 12.

cut dilexi vos ». At hoc impossibile est, quia tu Dominus es et amas servos tuos; nos autem, qui socii sumus invicem, quomodo nos mutuo diligere possumus, sicut tu nos amas? Quia tamen Dominus ita dixit, videamus, quomodo hoc fiat. Majorem hac, ait, charitatem nemo habere potest, quam si quis ponit animam suam pro amicis suis. Amor ejus ex eo cernitur, quod amicos nos vocavit. Et si nos ponimus animas nostras pro te, num aequalis fit dilectio nostra dilectioni tuae? Nos si pro te morimur, mortales sumus, tu autem, qui vivus es, passionem mortis nostrae sustinuisti. Quomodo ergo explicatur illud: Sicut dilexi vos? Moriamur, ait, unus pro altero. Sed nos ne vivere quidem unus pro altero volumus. Si ego, ait, qui Dominus et Deus sum vester, pro vobis morior, quanto magis oportet vos unum pro altero mori.

Ecce mitto ego ad vos paraclitum, quia dicit: Alium paraclitum mitto ad vos, i. e. consolatorem. Ut ipse est Deus, ita et is qui mittitur, Deus est. Si ideo, quia Spiritum mittit, major esset eo, etiam Spiritus, quia duxit eum in desertum, ut tentaretur [1], ipso esset major. Et quomodo dixit: Bonum est vobis, ut discedam, si enim ego non abiero, paraclitus ad vos non veniet et omnis veritas vobis non innotescet [2]? Quomodo bonum erat, Dominum abire, et, quum ipse non potuerit monstrare omnem veritatem, venire servum [3], ut daret ea quae Dominus non dedit? Et cur paraclitus prior [4] non explicavit omnem veritatem et secundus [5] eam nobis explicavit juxta verba prioris, quum hic sit omnis veritas? Quod autem Spiritus vocatus sit Dominus, testatur Scriptura his verbis: « Acce-

1. Math. 4, 1.
2. Sic in cod. B. Textum cod. A Aucher sic vertit: Et tota veritas vos non agnoscit.
3. I. e. Spiritum sanctum, quem haeretici creatum dicunt.
4. I. e. Christus.
5. I. e. Spiritus sanctus.

pit Simeon praeceptum a Spiritu sancto, se non gustaturum mortem, donec videret Dominum Christum, et cum suscepisset Dominum in ulnas suas, dixit: Nunc dimittis, Domine, servum tuum secundum verbum tuum in pacem [1]. Ergo a Spiritu sancto acceperat praeceptum et dixit: « Tu, Domine, dimittis servum tuum », ut et illud: « Donec videret Dominum Christum ».

« Et nemo, ait, novit id quod est hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo; ita et id quod est Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei » [2]. Non ac si Spiritus ejus creatura ejus sit, sed per hoc Scriptura nos docet, spiritum nostrum a natura nostra non esse alienum. « Nisi spiritus, ait, qui est ex eo; ita et Deum nemo novit, nisi Spiritus ejus, et scrutatur profunda ejus ». Si dicunt, Spiritum ad discendum scrutari, perpendant, eum quem quis scrutatur, minorem esse eo, qui scrutatur. Quum dixit: « Ite in universam terram et baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus » [3], non dixit: « In nomine Patris et in nomine Filii et in nomine Spiritus », ut ostenderet, eos esse unam naturam, quia in uno nomine tres personas nominavit. « Templum Dei estis vos, ait, et Spiritus Dei habitat in vobis » [4]. Si templum sumus, quomodo sumus habitatio Spiritus? Id dilucidat, quod dictum est: « Vos templum estis Spiritus sancti, qui habitat in vobis » [5]. Et in actibus Apostolorum dicit: « Quia placuit vobis, tentare Spiritum Domini », et: « Non mentitus es tu hominibus, sed Deo [6] ». Ergo Spiritus est Deus, quia ex Deo est. Nomen quidem Dei etiam hominibus tribuitur, quorum quidam dii vocati sunt, ut et nomen Patris et nomen Filii nos accipimus per gratiam. Homini Dei nomen attribuitur, ut Moyses vocatur deus

1. Luc. 2, 26. 28. 29.
2. I Cor. 2, 11.
3. Math. 28, 19.
4. I Cor. 3, 16.
5. Cf. I Cor. 6, 19.
6. Act. Ap. 5, 9 et 5, 3.

Pharaonis. At spiritus vivus Moyses nunquam appellatus est. Non dicit Scriptura de Eva, quod soror sit Adae, aut filia ejus, sed quod ex eo est. Ita et de Spiritu sancto non est dicendum, quod filius est aut soror, sed ex eo est et consubstantialis est ei. Et si is qui scrutatur, minor esset eo, quem scrutatur, ecce scriptum est: « Is qui scrutatur corda, scit, quae cogitatio sit spiritui » [1]. Si hoc ita se habet, num Deus scrutans spiritum [2] minor est, quam spiritus?

De judicio autem, quia princeps mundi hujus damnatus est (Ioan. 16, 11) i. e. non quod iterato Satanas poenam damnationis suae accipit, quum exinde in perpetuum condemnatus sit.

Da mihi gloriam a te ex ea, quam dedisti mihi, antequam mundus factus esset [3] (Ioan. 17, 1), quo tempore Pater omnes res fecit per Filium, ut psalmus explicat: « Gloriam et magnificentiam induit » [4] et postea creaturas ex nihilo eduxit et sine macula constituit. « Domine Deus, ait, magnus factus es valde, gloriam et magnificentiam induisti et amictus es lumine quasi operimento; extendisti coelum ut tabernaculum etc. » [5]. Quum autem ex perditione Adae res creatae humilitatem ejus induissent, teste Apostolo: « Creaturae subjectae sunt vanitati » [6], Filius creatoris ad eas sanandas venit, ut in suo adventu maculas earum per baptismum mortis

1. Rom. 8, 27.

2. Verba « Deus scrutans spiritum » explicationis causa inserui; in textu subjectum in hac sententia omnino deest. Refutat haereticos dicentes, Spiritum « ad discendum » scrutari arcana, eumque Deo, quem scrutatur, minorem i. e. creatum esse. — S. Pater ex loco ad Rom. 8, 27 ostendit, scrutatorem non esse minorem eo quem scrutatur, secus sequeretur, Deum, qui spiritum hominis scrutatur, minorem esse spiritu.

3. Ita in cod. B. Codicem A sequitur Aucher vertens: « Priusquam mundus factus esset in tempore, atque condebat Pater creaturas per Filium ».

4. Ps. 103, 1.

5. Ps. 103, 2-3.

6. Rom. 8-20.

suae tolleret, ut et ipse dixit: Venit et adest hora; clarifica Filium tuum et Filius tuus clarificabit te. Quod non quasi indigens, ut haec acciperet, rogavit, sed ordinem primarium creationis perfecturus postulavit gloriam, qua ipse indutus erat, quo tempore creaturae gloria induebantur. Nam sicut prima constituit per gratiam [1], ut essent sine macula in gloria et magnificentia, quam ipse induerat, ita sit et novissima eorum constitutio per misericordiam sine macula in gloria, quam induebat. Hoc ergo est, quod designat dicens: « Da mihi » nimirum id quod habuit ante creaturam cum Patre, et apud Patrem, quoniam et Scriptura [2] sic habet et aperte dicit: Glorifica me ea gloria, quam habui coram te, antequam mundus fieret. Sed et per illud: Glorifica Filium tuum, ut et Filius tuus te glorificet, non suam indigentiam declaravit, sed indigentem liberam voluntatem. Non ergo Pater quasi indigens gloriam a Filio accipit, et si Filius a Patre glorificatur, hac gloria nequaquam eget.

Tristis est anima mea (Matth. 26, 38). Quod dicere non erubuit, quia verus erat homo, nec alienum aliquid sub involucro habitus sui occultabat, idque dixit, ut ostenderet, carnem infirmam se induisse et cum anima, quae pati potest, se esse unitum. Dixit ergo, quod verum est, ne commutaretur, et abscondit [3], ne furtive auferretur; docuit, ne fideles in sua conversatione [4] gloriarentur, et hoc est denegare veritatem. Atque rursus dicit: « Qui me negat, et ego

1. Sic in cod. B. Cod. A verba « per Gratiam » ad sequentem sententiam refert.

2. Pro « Scriptura » in textu est « lectio », sub qua Aucher intelligit lectionem versionis Graecae.

3. In cod. B: « et non abscondit ». Quae lectio praeferenda sit, decernere non audeo, quum sensus hujus loci valde obscurus sit.

4. Ad verbum: « in oppidis suis ». Aucher habet « in decore proprio ». Confer verba (pag. 9): « Erant justi in omni habitatione sua ».

eum negabo » [1], et hic est timor et tremor infidelium [2]. Per unum ergo confitemur, ne nos error a charitate ejus divellat, et per alterum non confitemur, ne superbia fructum bonorum ejus a nobis auferat.

Si fieri potest, transeat a me calix iste. Non ignoravit, post tres dies calicem transiturum esse, qui scivit, discipulos scandalum passuros, Simonem negaturum, Judam se suspensurum esse et urbem Ierusalem destructum et populum dispersum iri. Si fieri potest, transeat a me calix iste. Sic dicit, qui ad Simonem, quum ipsum corrigere [3] vellet, dixerat: « Vade retro a me Satana, quia non cogitas, quae Dei, sed quae hominum sunt ». Quare nunc Dominus ipse reliquit, quae Dei sunt, et cogitavit, quae sunt hominum? Cur ergo tu increpasti Simonem, quum diceret: « Absit hoc a te, Domine »? Si fieri potest, transeat a me calix iste. Id quod modo ad Patrem dixit, scivit, et calicem transire posse scivit, immo et ad hunc finem venerat, ut eum biberet pro omnibus, et per hunc calicem omnium debita solveret, quae prophetae et salvatores sua morte solvere nequibant.

Pater, transeat a me calix iste. Qui mortem suam per suos prophetas descripserat et mysterium mortis suae in suis justis praefiguraverat, quando tempus venit, ut ipse mortem subiret, certe mortem non respuit, nec calicem ejus bibere recusavit. Si enim eum bibere noluisset et ejus respuendi voluntatem habuisset, corpus suum non comparasset templo dicens: « Destruite hoc templum et tertia die suscitabo illud » [4]; nec filiis Zebedaei dixisset: « Num potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum » [5]; et alio loco: « Baptismus instat mihi, quo baptizer » [6], et:

1. Math. 10, 33.
2. Ad verbum: « negantium », Aucher habet: « apostatarum ».
3. Cf. quae supra ad Math. 16, 22-23 dicta sunt.
4. Ioan. 2, 19.
5. Math. 20, 22.
6. Luc. 12, 51.

« Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltabitur filius hominis »[1]; et: « Sicut Jonas erat in ventre piscis, ita erit filius hominis in corde terrae »[2]; et: « Oportet eum mori et resurgere »[3], et: « Desiderio desideravi, comedere hoc pascha vobiscum, antequam patiar »[4]; et: Filius hominis vadit, sicut scriptum est de eo[5]. Immo et vespere, qua nocte se ipse tradidit, corpus suum Apostolis suis distribuit et sanguinem suum discipulis suis dispensavit et mandatum eis dedit, ut hoc in memoriam istius passionis facerent. Qui discipulis suis mandavit, ne mortem timerent dicens: « Nolite timere eos qui corpus occidunt »[6], quomodo ille ipse mortem timuit et petiit, ut transiret a se calix iste? Qui voluntarie sustinuit numerum mensium in utero et numerum annorum[7] in terra, quando dies et menses et anni consummati erant et aliquot horae tantum restabant, num is petiit, ut a se transiret calix et totus ejus adventus irritus fieret? Quando Ierosolymis erat, admonitionem suam propalavit, et magnitudinem donorum gratiae suae monstraturus dixit: « Si Sodomae factae essent istae virtutes, quae in te factae sunt, adhuc esset locus habitatus[8]. Attamen Sodoma destructa est, quae per adventum ejus consistere poterat. Qui quum nihilo secius tempus adventus sui non mutavit, quomodo eo tempore, quo advenerat, ipse voluit renunciare donis ex sua passione fluentibus, quae, si diebus Loth data essent, Sodoma et vicinae urbes, ut ipse dixit, usque adhuc florescerent? Et si propter populum suum huic calici voluit renunciare, ne in suo adventu periret, quemlibet populum, ad quem veniebat, perdere debuit, quia hic

1. Ioan. 3, 14.
2. Math. 12, 40.
3. Luc. 9, 22.
4. Luc. 22, 15.
5. Math. 26, 24.
6. Math. 10, 28.
7. Ita in cod. B. In cod. A falso est « omnia » pro « annorum ».
8. Math. 11, 83.

populus in mortem crucis eum traditurus erat. Sed quum isti signis et miraculis ejus aurem non praebuissent, nequaquam crucifixione ejus interierunt, quia antequam occideretur, jam interierant, quum signis ejus non credidissent.

Si fieri potest, transeat a me calix iste. Quod dixit propter infirmitatem, qua erat indutus, quia non in falsa specie, sed in veritate ea indutus erat. Et si in veritate infirmus et infirmitate indutus erat, impossibile erat infirmitati non timere et non perturbari. Quia carnem assumpserat et infirmitatem induerat, in fame cibo refectus, in labore defatigatus et in somno debilis compertus est; et ubi tempus mortis suae advenit, oportuit eas res, quae carnis erant, tunc quoque perfici; nam et angor mortis instantis eum invasit, ut ejus natura manifesta fieret, nimirum quod filius erat Adae illius, super quem, ut ait Apostolus, mors dominabatur [1]. Et dixit ad discipulos suos: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Spiritus, ait, hic promptus et paratus est, sed caro haec infirma. Et si in vobis, quando timetis, non spiritus vester est, qui timet, sed infirmitas carnis vestrae, quomodo ego a morte timui, nisi ut timorem mortis, quo caro, qua indutus sum, afficitur, vobis manifestum facerem?

Si enim Simon, cui una ancilla timorem incusserat, omnes Romanos non timuit, sed animo forti eos adjuravit, ut capite in terram verso eum crucifigerent, et si Apostolus, sciens, se non morti naturali decessurum esse, dixit: « Finem jam desidero et tempus dormitionis meae mihi instat [2], quomodo Dominus, cujus auxilio Apostoli mortem suam despexerunt juxta verbum ejus: « Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt » [3], quomodo, dico, ipse mortem potuit timere? Nam et intempestivus in timore, in quo esse putabatur, fuisset. Si timuit, ea

1. Rom. 5, 14.
2. Tim. 4, 6.
3. Math. 10, 28.

hora, qua comprehendebatur, timere debebat, non autem alio tempore ; tunc autem sanavit aurem occisoris. Praeceperat, ut gladium sumerent, hora autem, qua gladio opus erat, dixit : « Converte gladium tuum denuo in locum suum [1]. »

Aut [2] quia per Filium debita, quae facta erant, solvebantur et conversio gentium fiebat, gratiam, quae pro mundo erat, Filius sibi ipsi appropriare noluit. Sicuti ab initio, etiamsi omnia per ipsum facta essent, tamen hoc silentio praeterivit, et per os Moysi alterum factorem indicavit dicens : « Et vidit Deus omnia, quae fecerat, et ecce bona sunt valde » [3] ; idque dixit, ut Patri suo omnes creaturae debitores fierent, ita et hora renovationis earum omnibus per mortem renunciavit et dixit : Fiat voluntas tua, ut Patri debitores fierent omnes, qui per mortem Unigeniti convertendi essent. Aut, quia tempore mortis corporalis corpori dedit, quod corporis erat, ideo hoc dixit. Clarum est enim, omnes dolores de corpore ejus testari, ut veritas ejus eluceret. At sectae haereticorum omnia haec indicia corporis ejus videntes de eo sibi non persuaserunt [4]. Ut esurivit et sitivit et defatigatus est et dormivit, ita et timuit. Aut haec passus est, ut hominibus in terra difficile fieret dicere : « Sine passione et labore culpae nostrae ab eo expiatae sunt ». Aut ut discipulos doceret, ut vitam et mortem suam Deo commendarent. Si enim is qui sapiens est, propter Dei cognitionem id quod conveniebat, supplex oravit, quanto magis rudes voluntatem suam omniscio tradant. Aut, ut per suam passionem solatium in discipulis suis seminaret, menti eorum se accommodavit, ut eis exemplo fieret, eorumque timorem in se suscepit, ut suo documento [5] eis ostenderet, ante mortem de morte non

1. Math. 26, 52.

2. In sequentibus explicatur, cur Christus in agonia oraverit : Non mea, sed tua voluntas fuit.

3. Gen. 1, 31.

4. Hic locus ex cod. B emendatus est. In cod. A sanus sensus deest.

5. Ita in cod. B. In cod. A falso accusativus ponitur.

esse arroganter gloriari. Si enim is qui non timet, timuit et petiit, ut liberaretur, licet sciret, id esse impossibile, quanto magis ipsi orent ante tentationem, ut tempore tentationis eam evadant. Aut quia tempore tentationis mentes nostrae distrahi et cogitationes nostrae evagari solent, ipse oravit, ut nos doceret, contra machinationes et insidias malorum oratione opus esse et frequentibus precibus cogitationes dissolutas esse colligendas. Aut eos confortaturus, qui mortem timent, ostendit, se ipsum timuisse, ut doceret, timorem, nisi in eo perseverarent, eos perdere non posse. Hoc significabant verba : « Non mea, Pater, sed voluntas tua fiat » [1], i. e. moriar, ut multos salvos faciam. Aut hoc fecit, ut mortem falleret. Aut a passione timuit, ut mors praesumeret ipsum devorare, sed et festinaret, evomere eum.

Ad mortem superandam facta sunt haec omnia, quae in te, Domine, contra eam occultabantur. Divinitas tua morti non erat accesibilis et ad arcana tua non potuit penetrare. Quamvis nomen tuae divinitatis praedicaretur, tamen tunc temporis quasi veste id contegisti, quia nomen tuum divinum indumento nominis humani operuisti. Cujuscunque enim in corpore signum Adae primi apparuit, hujus corpus esca fuit mortis ; qui autem signum Adae alterius portat, dominus est mortis et victor ejus [2]. Ille primus Adam per gustum dissolvit suam voluntatem, quam corpori subjecit, et attenuavit et dissolvit corpus, ut cibus fieret mortis, alter vero strenua sua voluntate corpus confortavit, ut ab ore mortis recederet.

1. Ad verbum : « Non, Pater, sed tua » etc. In cod. B : « o Pater, sed tua » etc.

2. Ita in cod. B. In cod. A pro « victor ejus », falso est « dissolutor carnis ».

## CAPUT XX.

Non sicut mea voluntas, sed sicut tua, quibus verbis contrarius factus est Adae, qui voluntatem creatoris sui rejecit et voluntatem inimici sui approbavit, ideoque ori adversarii sui traditus est. Dominus autem rejecit voluntatem carnis, ut voluntatem creatoris carnis statueret, sciens, omnem beatitudinem de voluntate Patris sui pendere.

Non mea voluntas fiat, sed tua. Num habebat [1] voluntatem contra voluntatem Patris sui? Sed cur dicit: « Non mea voluntas fiat, sed tua voluntas »? Et alio loco dicit: « Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me » [2]. Voluntas vero Patris est: « Quoscunque mihi dedit, non perdam ex eis quemquam » [3]. Clarum est, ejus voluntatem aliam esse [4]. Et Isaias dicit: « Dominus voluit eum humiliare et affligere » [5]. Et iterum dicit: « Quia tradidit animam suam in mortem » [6], quo loco ostendit, id suam fuisse voluntatem. Quomodo autem hoc intelligatur? Nam ostendit duas voluntates, unam Domini et alteram suam, quum sane opus unum sit. At Dominus quum auditoribus suis persuadere vellet, se non ab alia potestate vi quadam regi, errantibus videbatur aliam habere voluntatem. Similiter stans apud Lazarum dixit: « Gratias ago tibi, quod audisti me et audis me, sed propter turbas istas facio, ut credant, quod tu me misisti » [7], ut nimirum, quum de eo audierint, cognoscerent, eum esse ex Deo.

1. Ita in cod. B. In cod. A: « habet ».
2. Ioan. 6, 38.
3. Ioan. 18, 9.
4. I. e. ejus voluntatem non fuisse, ut unus suorum discipulorum pereat.
5. Is. 53, 10.
6. Is. 53, 12.
7. Ioan. 11, 42.

Idem placet dicere de omnibus hujusmodi effatis Christi. Ut ostenderet, se esse ex Patre, Patri haec omnia dedit et attribuit, et ipse quasi eis indigens apparuit propter honorem Patris sui, etsi omnia sua voluntate faceret. Non dabatur necessitas, quae Dominum ad humilitatem fecit descendere, ut confunderentur dicentes, a virtutibus tenebrarum eum victum esse. Nam virtutes tenebrarum magna voce clamarunt et dixerunt: « Tu es Filius Dei »[1], eumque oraverunt, ne eas in gehennam mitteret. Qui eum orabant, ut a gehenna liberarentur, quomodo hi eum vicerunt?

Et factus est sudor ejus, ut guttae sanguinis. Sudavit, ut sanaret Adamum aegrotantem. « In sudore faciei tuae, ait, comedes panem tuum »[2]. Et in horto oravit, ut Adamum iterum in hortum reduceret.

Ad vigilandum mecum, ait, vocavi vos, ne traderer, quum autem nunc tradar, dormite deinceps et requiescite. Judas[3] initium regni et Judas extirpator regni. Quum Judas fraudulentus osculo Dominum Romanis traderet, cum eo et munus, eum vindicandi, Romanis tradidit.

Venit iniquus Judas, ut magnam suam abyssum consummaret, quod Dominus miti modo declaravit ostendens, se esse bonum et fontem misericordiae, dicens: Judas, num osculando venis tradere Filium hominis? Quo et docet, Filium Dei ab eo tradi non potuisse. Agedum, ad quid venisti amice? Inimicitiam vocat amicitiam. Dominus ei faciem suam advertit, accessit discipulus fraudulentus ad magistrum veritatis, ut eum oscularetur. Spiritum[4], quem in eum insufflaverat, ex eo retraxit, quia noluit, ut amplius lupus rapax inter oves suas versaretur. Dixerat enim: « Id quod habebat, ablatum est ab eo »[5].

1. Marc. 3, 12.
2. Gen. 3, 19.
3. Cf. Gen. 49, 15.
4. Cod. B habet: Spiritum sanctum.
5. Math. 13, 11.

Dominus dixit eis : Quem quaeritis ? quia nempe credebant, illum ex manibus eorum se liberare non posse. Dicunt ei : Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus : Ego sum. Dum adhuc Judas cum eis stabat, retro abierunt et prostrati sunt in terram. Curvati[1] sunt coram eo invitus, ut discerent, eum voluntarie manibus eorum se tradere. At illi potestatem, quae eos prostraverat, non reveriti impuras manus extenderunt, et suum purificatorem apprehenderunt. Simon aurem unius ex eis abscidit, verum benignus Dominus in sua bonitate eam sumpsit et in loco suo excelso denuo affixit, in similitudinem hominis[2], qui per sua delicta in profundam abyssum ceciderat. Converte gladium tuum denuo in locum suum. Cujus verbum gladius est, gladio non indiget, et qui in suum locum aurem abscissam restituerat, membra conjuncta dissolvere potuit. Verum ne in uno tantum ex eis virtutem omnipotentiae suae ostenderet, eandem et in ceteris exhibuit, quum retrocederent et in terram caderent. Et ne unus tantum, cujus aurem sanaverat, sub gratia concluderetur, omnes, qui eum tenuerunt, sub gratia conclusit, ut scirent, ad quem tenendum venissent. Nam solum per illius gratiam, qui ex gratia aurem sanatam loco suo reddiderat, illi se erigere potuerunt, qui humi prostrati erant. Sed quum paulum aliquid de sua potestate ostenderet, denuo prostrati jacebant omnes, qui eum apprehensuri venerant. Gladium autem Simon per mysterium eduxerat, ut verbum Moysi confirmaretur : « Omnis anima, quae non audierit prophetam istum, morte morietur »[3]. Quum vero Dominus finis esset justitiae et initium misericordiae, gladium ejus in vagina reclusit, et justitiam in locum suum reduxit et in misericordia ad sanationem vulneris per gladium inflicti accessit. Aurem in locum suum

1. Sic in cod. B. In cod. A : « obcaecati sunt ».
2. Sic in margine codicis A hic locus explicatur.
3. Deut. 18, 18-19.

restituit, quia defectum justitiae per opera misericordiae [1] complevit. Attamen ille, cujus auris sanabatur, odium pro charitate mercedem dedit pro sua sanatione. Et qui in terram prostrati et virtute ejus erecti sunt, vincula pro accepto auxilio ei reddiderunt. Ligaverunt eum, ait, et deduxerunt.

Princeps discipulorum afflictus est et tentatus, ut medicus fieret vulneratorum. Si forsitan transgressores puderet, ut poenitentiam agerent, Dominus per Simonem transgressorem eos exhortatus est, ut ad se venirent, qui omnibus transgressionibus superior est [2]. Nocte negavit Simon, die [3] autem confessus est. Ad prunas negavit, ad prunas confessus est. Ubi negavit, terra testis erat, ubi confessus est, mare et terra, unumquodque juxta suam naturam, testis adfuit. Quia lingua sua aberravit et negavit, ipse se jugo submisit et humeros suos cruci tradidit, ita ut et supplex rogaret, ut ipsum capite inverso in crucem agerent.

Amodo videbitis vos filium hominis, quod venit in nubibus lucidis cum angelis coelorum. Tunc summus sacerdos manum ad oras vestimenti misit et laceravit stolam suam, quia urgebatur vi novi vini [4]. Sed et hoc dicimus, quod omnia, quae Deus per Unigenitum suum facturus erat, in rebus creatis praesignavit et insuper in viris justis praefiguravit. Mense Arech [5], flores sinus suos rumpunt et egrediuntur, sinibusque suis nudis et inanibus relictis ipsi aliorum corona fiunt. Sic quoque mense Arech summus sacerdos sacerdotium suum dirupit et nudum et inane reliquit, et sacerdotium transiit et in Salvatore nostro collatum est. Christus ora eorum fecit obmutescere, at illi contra eum tumultum et turbam testium auxerunt.

1. Ita in cod. B. In cod. A: « misericordia opere complevit ».
2. I. e. quia omnia delicta dimittere potest.
3. Cf. Ioan. 21, 4-10.
4. Math. 9, 17.
5. « Mense Martio » vertit Aucher, ut et ad marginem codicis B adnotatum est.

Dominus loquutus est, quia eum interrogarant et effecit, ut vestimenta eorum scinderentur[1]. Et sumpserunt et duxerunt eum ad tribunal[2] et dederunt in manus Pilati, et ipsi non intrarunt in interiora in aulam, ne contaminarentur, ut prius ederent agnum in sanctitate. O Pharisaei! ecce audistis: « Hic est agnus Dei, hic est, qui sua immolatione tollit peccata mundi »; quid ergo necesse erat, ut, quo die agnus vestrae salvationis immolabatur, nostrae quoque salvationis agnus mactaretur?

Dominus defensor factus est veritatis et venit et tacuit ante Pilatum, quia veritas opprimebatur[3]. Sicut alii per defensiones victoriam reportant, ita Dominus per silentium suum victor discessit, quia tributum, quod divinum ejus silentium merebatur, victoria erat verae doctrinae[4]. In doctrina loquebatur, in judicio tacebat. Non tacebat ea quibus nos magnificabat[5], nec pugnabat contra eos qui exacerbabant. Verba calumniatorum suorum quasi corona capiti ejus redimebantur. Tacuit, ut se tacente illi magis conclamarent, et omnibus his vocibus sua corona ornatior fieret. Si enim loquutus esset, illa studia, quae in corona ejus conficienda laborabant, sua veritate conticescere fecisset. Condemnarunt eum, quia verum dixerat; sed non est condemnatus, quia condemnatio victoria ejus fuit. Nihil igitur eum urgebat, ut eis persuadendo responderet. Mori ipse voluit, et responsio obstaculum mortis ejus fuisset. Tacuit, quia, si loquutus esset, mendacium coram veritate ejus non potuisset consistere. Tolle a nobis istum, tolle a nobis, ad Pilatum clamabant. Hic autem secunda et tertia vice re-

1. Ad verbum : « et scidit vestimenta eorum ».
2. Ad verbum : « ad portam ».
3. Ad verbum juxta Aucher : « Et venit, inquit, silentio suo coram Pilato pro veritate injuriata ». « Inquit » deest in cod. B.
4. Aucher verba textus sic reddit : « Quoniam meritum divini silentii victoria est verae doctrinae ».
5. Sic in cod. B. In cod. A : quae nos magnificabant ».

plicans propheta regni Domini fiebat[1] dicens: Num ego regem vestrum in crucem agam? Mysterium sanguinis, qui portis eorum aspergebatur, angelum mortiferum et perditorem ab eis arcebat. Ad hunc autem agnum verum suas blasphemias converterunt, eoque repudiato Barabbam homicidam sibi postularunt.

Quia vestimentum purpureum Dominum induerunt, hic sustulit regnum Israël. Quumque eum iterum denudarent, manifestum fecit, quod mortem eis relinqueret. Porro purpura eum induerunt, quia, sicut eum propter tributa calumniabantur dicentes: « Hic prohibet tributa dare Caesari »[2], ita et propter purpuram voluerunt eum occidere dicentes: « Ecce, se ipsum in regnum intrudit ». Quum mortem ei pararent, prophetarunt, ut et Caiphas. Et in corona ex spinis, in ejus irrisionem praeparata, contrarium accidit et eorum infidelitas in bonum conversa est, videlicet, ut per eam inimicus vinceretur, quia Dominus per suam coronam sustulit maledicta Adae primi: « Spinas et tribulos tibi germinabit »[3]. Et spuerunt in faciem ejus, qui insufflavit eis Spiritum sanctum. Dederunt arundinem in manu ejus, quia Dominus erat baculus sustentans mundum, qui senuerat, et in eo fulciebatur. Et sicut arundine confirmantur et ratae fiunt sententiae judicum, ita et Dominus per arundinem scripsit et ejecit e domo sua[4].

Quum Judas videret, Dominum esse condemnatum, actus dolore abiit et retulit triginta argenteos ad sacerdotes et ait: Peccavi, quia sanguinem justum tradidi. Dicunt ei: Non est nobis cura, tu nosti. Et projecit argentum in templum et

1. Locus ex cod. B. emendatus.
2. Luc. 23, 2.
3. Gen. 3, 19.
4. Ita haec sententia in cod. B habetur. Lectio cod. A sic verti potest: « Ita et Dominus sententiam scripsit et emisit ex domo sua ».

abiit et se suspendit et mortuus est. Abiit Judas, ut fieret praeco errorum, quos secutus erat. Qui ita secum cogitabat: « Liberabor ab opprobriis multorum et occultabor ab ignominia, sicque remissis frenis, quasi nihil sibi post transitum ex hoc mundo restaret, injecit sibi laqueum et mortuus est. Et ne misericordia in poena ejus inhonestaretur, nullus ex filiis pacis et veritatis inventus est, qui eum occideret, sed ipse laqueo se suspendit, ut ostenderet, in die novissimo, malitiam hominis eodem modo se ipsam interempturam et perdituram esse. Quis ergo poenas dabit sanguinis illius, qui venit in similitudinem hominis, nisi is qui similitudine hominis indutus [1] eum tradidit, non ac si eum vincere et tradere potuisset, sed quia de ipse se tradere voluit? Nec minus Dominus occidit malitiam, sed voluit, ut ipsa operibus suis se perderet. Occidit ergo diabolus immortalem forma hominis indutum, et merebatur vindictam Dei, ut per Dei vindictam is qui Deus appellatus est [2], perderetur et interiret. Qui sagittam in hostem mittit, si haec retorta percutit eum qui eam miserat, sagittam comminuit et arcum in ignem mittit. Ita et Satanas videns, mortem Filii victoriam esse mundi, ejusque crucem liberatricem esse creaturae, intravit in Judam, vas suum, et hic abiit et laqueo se suspendit. Quod autem diffusus est venter ejus, eum indicat, qui sustentavit [3] Judam, quum laqueum sibi injiceret. Ut que laqueus abscissus est, cecidit ille et crepuit medius. Alii dicunt, Judam [4] portam clausisse et interius obserrasse, et donec putresceret et totus venter ejus esset diffusus, nemo portam domus aperuit, ut interiora videret.

Non est fas, recipere argentum hoc in aerarium. Timuerunt illum Scripturae locum ejusque impletionem impedire voluerunt. Attamen

1. I. e. diabolus, qui in Judam intravit.
2. Scilicet diabolus in idolis adoratus.
3. Ad verbum: « super quem stetit Judas et injecit sibi laqueum ».
4. Hoc subjectum sententiae explicandae causa inserui.

argentum, quando in templum missum erat, per hoc sanctificatum est. Et quod eo emerunt sepulturae locum, bene accidit, quia Dei causa hoc fecerunt [1]; magnum enim hoc erat mysterium. Si hoc argentum ex domo Sanctuarii dederunt, cur non erat fas id recipere in illum thesaurum? Pecuniae, unde dederunt, cur hanc pecuniam non licebat adjici [2]. Si autem non inde id dederunt, poterant id clare dicere. At vero num hoc argentum magis erat immundum, quam aliud argentum? Num magis immundum erat, quam gladius Goliath, qui linteo involutus post altare ad latus ponebatur, quam aurum Aegyptiorum [3], quam aurum, quod David ex omnibus regnis abstulit et Deo sacravit, quam illa corona cum margaritis, quam super caput suum posuit, et in spiritu decantavit [4], quam illa dona votiva, oblata a Philistaeis, quae ibidem erant in saecula. Nonne et Nabuchodonosor abstulit omnia vasa ministerii et posuit ea in domo deorum suorum? Sed et arcam foederis in domum Dagonis intulerunt. Quis potest immundum facere sanctum et sanctificantem? At si eam ob causam, quod se ipsum Deum fecerat, agrum illo argento emerunt, altare eo obduci oportebat. Veruntamen non hoc eis cordi fuit, sed prophetiae impletionem impedire voluerunt.

Et quum ipse sustulisset lignum crucis suae et exiisset, invenerunt et apprehenderunt illi virum quendam Cyrenensem i. e. ex gentibus et posuerunt super eum lignum crucis. Bene lignum crucis ipsi sua sponte gentibus dederunt, quum rebellantes adventum omnia bona apportantem a se rejicerent. Hunc a se rejectum adventum ex aemulatione ad gentes transmiserunt. Ex aemulatione eum rejecerunt et ad eorum aemulationem a gentibus acceptus est, et ipse eas susce-

1. Scilicet ut impleretur Scriptura.
2. Hic locus ex cod. B. emendatus est. In cod. A nonnullae voces exciderunt.
3. Exod. 11, 2.
4. Psalm. 20, 4.

pit, ut per suos acceptores aemulationem immitteret in animos eorum qui eum rejecerant. Quod autem ipse portavit lignum crucis suae, victoriam ejus clare indicat. Et quod non ab aliis coactus ad mortem ductus est, his verbis testatus est: « Potestatem habeo super animam meam, ponendi eam et recipiendi eam »[1]. Et quod alius quidam ei crucem portavit, factum est, ut patesceret, eum, in quo peccatum non est inventum, propter homines, qui ipsum e medio tollebant, in crucem ascendisse[2].

Si in ligno viridi hoc faciunt. Per comparationem Dominus lignum viride suam divinitatem et lignum aridum eos appellavit, qui dona ejus acceperunt. Rursus « lignum viride » dixit, quia fructum fert, ut in alio loco ait: « Propter quod bonorum operum meorum me lapidatis »[3]? Et si ego tantopere patior, in quo peccatum, propter quod praetextum me perdendi haberetis, non invenistis (quis enim ex vobis arguet me de peccato?[4]), quanto majora vos patiemini? Aut « lignum viride » dixit, quia miracula fecit, et « lignum aridum » justos vocat, qui facta mirabilia non fecerunt. Rursus, si viride lignum, cujus ex fructibus comederunt, et cujus frondibus delectati sunt, hoc modo odio habuerunt et perdiderunt, arido ligno, quod germina et gemmas suas non aperuit, i. e. simplicibus justis, qui signa non fecerunt, quid facient?

Quum eum in crucem egerunt, crucifixerunt cum eo et duos malefactores, ut perficeretur, quod dictum est: Cum iniquis reputatus est. Unus, quamvis nesciamus, utrum circumcisus esset, nec ne, verbis suis circumciso similis fuit; alter vero, etsi nesciamus, utrum hic incircumcisus esset, nec ne verbis suis similitudinem incircumcisorum habuit. Unus dixit: Si tu es Christus[5], i. e. rex, juxta verba circum-

1. Ioan. 10, 18.
2. Hic locus ex cod. B emendatus est.
3. Ioan. 10, 32.
4. Ioan. 8, 46.
5. Verba sic se habent: « Nonne es tu Christus »? Sed ex

cisorum crucifigentium ; alter autem dixit : Memento mei in regno tuo, sicut incircumcisi scripserunt : « Hic est Christus, rex Judaeorum ». Incircumcisi confessi sunt, Christum esse regem Judaeorum et non regem suum, Judaei autem confessi sunt, regem suum esse Caesarem, principem aliarum gentium. Populus, qui profitebatur regnum transitorium, transiit cum illo ; qui autem verum regnum professi sunt, juxta promissiones hujus regni in hortum voluptatis intrarunt. A Caesare, quem regem suum profitebantur, urbs eorum diruta est, gentes autem regnum Domini confitentes resuscitationem et vitam corporis sui assecuti sunt.

Si[1] tu es Christus ille, salva te ipsum et nos tecum. Dominus non effecit, ut ille descenderet de cruce, sicuti petierat, quoniam illum, qui ad dextram crucis erat et in crucifixum credebat, magnificare voluit ; nam per miraculum facile poterat, quemlibet sibi facere discipulum. Sed hoc, quod fortius est, contigit, nimirum, vel veritas Domini contemnentem adegit, ut ipsum adoraret[2]. Propterea dixit Apostolus : « Infirmum Dei fortius est hominibus »[3]. Infirmitate crucis omnes populos Dominus sibi subjecit. Expande brachia tua ad crucem, ut brachia Domini crucifixi ad te expandantur. Qui enim manum suam ad crucem ejus non expandit, is nec mensae ejus manus admovebit. A mensa enim ejus excludentur, qui esurientes ab eo invitati, satiati ad eum venerunt. Noli satiari et sic ad mensam Filii accedere, ne te esurientem de mensa sua surgere jubeat.

Quia Satanas unum ex discipulis Christi a justi-

contextu patet, hanc interrogationem sensum negationis habere.

1. Ad verbum : « Nonne tu es Christus ille ? Salva tu te ipsum » etc. Cf. Adnotationem praecedentem.

2. Locus ex cod. B. emendatus. Textus, cod. A sic verti potest : Sed hoc, quod fortius est, factum est, nimirum quod Dominus ipse adegit veritatis contemptorem, ut ipsum adoraret.

3. I Cor. 1, 25.

tia abstraxit, Christus quoque zelans Satanae unum ex discipulis ejus eripuit, et eum quem propter crimina vi cruci affixerunt, propter fidem fecit in libertate versari, etsi hic cruci esset affixus [1]. Sicut Satanas effecit, ut ille per gratiam electus propter libertatem reprobus et contemptus fieret, atque pro throno laqueum ei paravit, ita et Christus latroni pro cruce dedit paradisum voluptatis. Quia non decebat, ut illae manus, quas homo in mandati transgressione ad arborem scientiae extenderat, statim extenderentur ad accipienda dona Dei, quem ille in arbore vitae spreverat, ideo Dominus illum hominem sumpsit et in cruce alligavit, ut occideretur mors [2], quae eum occiderat, et sic ad suam vitam dilectam perveniret. Ideo: « Mecum, ait, eris in horto voluptatis ».

Memento mei, Domine, in regno tuo. Quia oculis fidei suae honorem Domini loco ignominiae, et gloriam ejus pro humilitate vidit, dixit: Memento mei, quoniam in eis quae nunc in clavibus et cruce apparent, non oblitus sum regnum et gloriam tuam, quae in fine erunt et nunc nondum apparent.

Quum Dominus vidisset, fidem ejus fide multorum esse majorem, nec eum de suis angustiis, sed de remissione peccatorum cogitare, prae multis aliis eum magnificavit. Et quia in suis precibus non celerem retributionem fidei suae petierat [3]; nam parvus et vilis ipse sibi apparebat, cum latro esset, ideo Dominus dona sua remota acceleravit, deditque proximam promissionem, dicens: « Hodie », et non in fine mundi. Locupletem ergo misericordiam suam ostendit, per quam eadem hora, qua fidem a latrone mutuo accepit, ei gratis immensa dona reddidit, thesauros suos gratis coram eo effudit, statim in suum paradisum eum transtulit et ibidem introductum super the-

1. Locus hic ex cod. B correctus est. In cod. A magna ejus pars deest.

2. Haec vox ex cod. B inserta est. Sequens sententia ex eodem codice correctus est.

3. Sic in cod. B legitur.

sauros suos constituit. Mecum eris in horto voluptatis.

Paradisus ergo aperiebatur per latronem, et non per aliquem ex justis. Paradisus, per Adamum justum, postquam reus factus erat, clausus, per reum, qui vicerat, apertus est. Quia Judaei latronem elegerant et Christum reprobarant, Deus elegit latronem, et illos reprobavit. Et ubi jam illud : « Si quis carnem meam non sumpserit, vitam non habet »[1] ? Verbum Apostoli : « Quicunque baptizati sumus in Christum, in ipsam mortem ejus sumus baptizati »[2] declarat, latronem per mysterium aquae et sanguinis ex latere Christi effluentium accepisse aspersionem remissionis peccatorum. « Mecum eris, ait, in horto voluptatis ».

Et dederunt ei bibere acetum et fel. Pro eo quod dulci suo vino eos laetificarat[3], acetum ei porrexerunt, pro felle autem magna ejus miseratio amaritudinem gentium dulcem fecit. Tunica ejus non est scissa, quae imago est divinitatis ejus, quae non dividitur, quia non est composita. Quod vestimentum ejus divisum est in quatuor partes, significat Evangelium in quatuor partes mundi egressurum. Distribuite corpus ejus inter vos ex amore erga eum qui vestes suas crucifigentibus ex amore erga vos divisit. Sumite et deglutite vos omnes eum totum, ut ipse solus sumpsit et deglutivit mortem omnium vestrum. Aperite ei portas cordis vestri, qui aperuit vobis portas regni sui. Maria Dominum vidit in eo, qui in sinu ejus recubuit, et Ioannes Dominum vidit in ea quae ex utero eum peperit, ideo huic prae ceteris discipulis eam commendavit.

Quia mens crucifigentium obtenebrata non cognovit, qualis sol ligno crucis affixus esset, sol oculos illuminans obtenebratus est, quumque oculi corporis eorum obtenebrarentur, mens eorum paulatim coepit illuminari. Vae fuit, vae fuit nobis, Filius

1. Ioan. 6, 54.
2. Rom. 6, 3.
3 Scilicet in nuptiis Canae in Galilaea.

Dei erat hic. Vidistine, quamdiu tenebrae circa exteriores oculos eorum condensarentur, tenebras ab interioribus eorum cogitationibus non esse sublatas [1], quia obtenebratis caligo est naturalis. Illae tenebrae eos docuerunt, quae esset obtenebratio illius solis, quem cruci affixerant. Quando sol justitiae apparuerat, leprosos mundans et caecorum oculos aperiens, per istam lucem caeci non cognoverunt regem urbis Ierosolymorum venisse. Quum autem eis sol naturalis defecisset, tunc per istas tenebras eis lucidum fiebat, excidium urbis suae advenisse. « Venerunt, ait, judicia dirutionis Ierosolymorum » [2]. Quia itaque haec urbs non recepit eum qui eam aedificaverat, restabat ei, ut ruinam suam videret [3].

Sed in futurum ne hoc quidem tibi, o Judaee, restat videre, quia urbem tuam jam dirutam et destructam vidisti. Ergo cum urbs tua diruta et destructa sit [4], a diruta et destructa tua urbe disce, quis ille sit, qui ecclesiam plantavit. Et ex eo quod filii urbis Ierusalem in omnes nationes gentium dispersi et dissipati sunt, disce, quis ille sit, qui omnes nationes gentium in sinu ecclesiae collegit et congregavit. Si tibi non persuadet sinus maritatae, quae semine orbata est [5], tibi persuadeat sinus sterilis, quae gravidata foetum portat [6]. At si destructionem et ruinam illius non vides, foetum quoque et partum hujus vix videbis. Si vero illam destructam et viduatam vides, nonne et hanc maritatam et filiis auctam videbis? Quid tibi videtur istum locum Scripturae legenti: « Plures facti sunt filii viduatae, quam maritatae » [7]. Et si sensus

1. I. e. subito non sunt sublatae. Modo enim dixit: « Mens eorum paullatim » coepit illuminari.
2. Cf. Dan. 9, 2 vel Dan. 9, 26.
3. Verba hujus sententiae sic se habent: Haec igitur urbs non suscepit eum qui eam aedificaverat, instat tibi videre, quod te eradicat. S. auctor ultimis verbis urbem alloqui videtur.
4. Haec sententia ex cod. B inserta est.
5. I. e. Synagoga.
6. I. e. Ecclesia.
7. Gal. 4, 27 et Is. 54, 1.

Scripturae tibi non apparet, cur labore lectionis earum oculos debilitas ? Vespertilio tui similis est. Quia emicantes radios solis ferre non poteras, renunciasti diei, ut per cognatam tibi noctem circumvolares. Si absconditam lucem Scripturarum intueri nequis, renuncia labori, eas quavis hora [1] legendi. Vespertilioni nox est loco diei, et tibi loco Dei, qui in prophetis descriptus est, vitulus fuit, quem opifices fecerunt. Aut illum adora, quem prophetae praedicarunt, aut eum quem patres tui fuderunt. Josue quoque filius Nave dixit : « Eligite vobis hodie, quem colatis, utrum Deum, an deos istos » [2]. Cor tuum elegit deos illorum. Sunt tibi pro Scriptura et prophetis furor gentilium, pro psalmis cantica saltationis. Quod projecimus a nobis, vobis dedimus et quod vos projecistis, ad nos pervenit. Si nobis omnibus unum regnum coelorum non est promissum, sufficit vobis omnibus una gehenna.

Deus, Deus meus, quare me dereliquisti. Victus est Dominus a morte, quae eum fecit tacere, donec in crucem ascenderet ; econtra Christus vicit mortem, quum in crucem actus esset. Dum mors unum in cruce ligabat, multi, qui in inferis ligati erant, per vincula unius liberati sunt. Veracis Domini verba : « Eli, Eli, quare me dereliquisti », veritati concordabant, derisores autem mendacio suo haec adjecerunt : « Videamus, si Elias venit, ut eum faciat descendere. Quia primae huic voci illudebant dicentes : « Quid est, quod Elias eum non facit descendere », denuo altera vox clamavit, quam mortui audierunt eique obedierunt, ut ostenderetur, si mortui, quibus auditus non est, eum audierint, multo magis vivos eum audire posse. Attamen, quum ad Patrem suum clamasset, cur mortui pro Patre suo ei responderunt ? Sed si Pater per mortuos eum audivit, vivi consilium accipiant, et commoveantur, ut eum audirent. Quia ergo a veritate primae vocis perversi

1. Verba : « Quavis hora » in cod. B ad sequentem sententiam referuntur.
2. Jos. 24, 15.

aberrarunt, vis alterius suae vocis eos correxit. Quia vox prima ludibrium erat in ore eorum, et illusio et irrisio in verbis eorum, vox altera vae facta est in ore eorum et complosio manuum in pectore eorum. Quia vox prima reprobata est, misit alteram, quae vindictam faceret in reprobatores ejus. Quod ad ipsos Elias veniet, illi, teste Scriptura, crediderunt; quod autem ad Christum Elias venire possit, id eis ridiculum videbatur. Quum vero prophetae desperationem eorum et interitum urbis praedixisset, contra istos suos populares testati sunt, quod ad eos Elias non veniet. Quum manus ejus clavis affigerentur, affigentes coarguit lutum, quod ad aperiendos oculos caecorum manus ejus formaverant. Manus enim ejus, qui potuit aperire oculos caecorum, ut ipsum viderent, certe et poterant obcaecare crucifigentes, ut ipsum non viderent. Et per firmos ejus pedes, qui densis vinculis submissi sunt, condensatae undae, quae ligatae pedibus ejus se submiserunt, ligatores ejus convincebant; pedes enim, qui super dorsum undarum ambulare potuerunt, quin immergerentur, potuerunt et calcare dorsa inimicorum, ne eum in crucem agerent.

Sed cum corpus ejus in ligno, in quo thesauri vitae gentium erant, suspendissent, respexit ad terram gentium, quae hos thesauros accepit. Joseph quoque dixit: « Portate ossa mea hinc » [1], quia quamdiu iste sanctus thesaurus in illa terra immunda depositum erat, Deus cum ea misericordiam fecit. Ex eadem causa Judaei ex terra Babyloniae reversi sunt. Et si hoc de Sanctis valet, quanto magis de Domino eorum. Clavis affixae sunt manus, quae nos a vinculis mortis solverunt. Affixae sunt manus, quae solverunt vincula nostra et vinxerunt eos qui nos ligarant. Mirum est, quod mortui vivum occiderunt et occisus mortuos vivificavit. Illi furorem suum auxerunt et extulerunt in altum, hic sua magnifica dona auxit et usque in profundum demisit. Ilic est mortuus, quem mors rapuit et abstu-

1. Gen. 50, 25.

lit et, teste Scriptura, in sepulcrum introduxit, idemque resurrexit et spelaeum captivitatis suae spoliavit. Mors eum rapuit, abstulit et deportavit, donec obdormiret, tunc vero expergefactus prodiit et rapuit raptorem suum. Hic est crucifixus [1], qui crucifixit eos qui ipsum in crucem egerant, et hic est captivus, qui captivum fecit eum, qui ipsum captivum fecerat. Crux mortis tuae fons vitae mortalitati nostrae facta est; quicunque ex tuo fonte biberunt, fructus potui tuo similes produxerunt. Mors comedit vitam, quae in corporibus mortalibus latebat, et nescivit, vitam in eodem corpore comedi. Mors esuriens festinavit, deglutire eum, sed et festinavit, eum dimittere ex sua potestate. Quia mors per aurem Evae intraverat, per aurem Mariae vita intravit; et quia homo debita per lignum contraxerat, Christus venit, et per lignum ea solvit.

Miracula ejus unum per alterum Judaei tollere studebant. Is, ajunt, qui oculos caeci aperuit, nonne potuit facere, ut iste non moreretur „ [2] ? Et quum istum quoque in vitam revocasset, iterum dixerunt: « Hunc vivificavit et se ipsum non potest vivificare „ [3]. In quantum illi priora miracula solvebant, in tantum Christus prioribus majora monstravit, pro caeco mortuum quadriduanum et pro hoc mortuo turbam mortuorum, quam ex sepulcris eduxit. Quum posterioribus miraculis illuderent dicentes: « Cur haec facere non potest », testes erant priorum miraculorum, quae fecerat. Dicunt enim: « Hic, qui aperuit oculos caeci », et iterum testantur: « Alios salvos fecit ». Tum ergo duplicem ex eis utilitatem reportavit, primam, ut eorum absconditam irrisionem detegeret, dicentium: « Forsitan non potest facere », et alteram, ut ei fierent testes, quod id facere posset. « Alios salvos fecit, in-

1. Ad verbum: « Haec est crux, quae crucifixit crucifixores suos ». Sed crux h. l. falso pro crucifixo ponitur, quod facile explicatur, quum in Syriaco eadem vox crucem et crucifixum significet.

2. Ioan. 11, 37.

3. Cf. Math. 27, 42.

quiunt, se ipsum non potest salvare ». Ita ei irridendo eum exaltarunt. Quamvis dicentes : « Non facit descendere de cruce », ostenderent, eum infirmum esse, tamen dicentes : « Alios vivos fecit », testati sunt, eum esse vivificatorem. Et ecce, Elisaeus in morte sua mortuum vivificavit et resuscitavit, ut imaginem praesignaret ejus qui morte sua sepulcra aperuit, et eduxit mortuos, qui ipsius occisores vituperarent.

Irrisores ergo dicentes : « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere, ossibus Elisaei ludibrio habiti sunt, quae, etsi alios vivificarent, se ipsa vivificare nolebant. Noluerunt se vivificare, quia nec mortua erant. Si enim mortua essent, non potuissent alios vivificare. Ergo quum ossa haec mortua ad vitam alios revocarent, opus non habebant, ut, quum vitam et requiem viventium in coelo haberent, vitam omnibus malis infectam gustarent. Si mortui illius corpus, quod non amore et sensu ossa Elisaei tetigit, vitam novam, quae mortem vincebat, ex eis retulit, quanto magis fideles a corpore Filii vitam immortalitatis recipient ? Qui ergo morti praecepit, quae eo jubente animas reddidit, is potuit et cruci praecipere, ut ipsum liberum dimitteret. Sed ut in hoc[1] quoque excusationem non haberent, petris praecepit et fissae sunt, et morti mandavit, et justos non impedivit, ad vocem illius ex sepulcris exire. Inferi praesagium acceperunt vocis Domini, ut se praepararent voci ejus novissimae, quae eos omnino evacuabit.

Quod si illi putabant, propter Filii infirmitatem corpus, quod induerat, afflictum esse, Philisthaeis similes erant existimantibus, propter infirmitatem Dei se arcam ejus contemnere et infestare potuisse. Et si dicunt : Philistaei acceperunt ultionem retributionis, multo magis hoc de crucifigentibus valet. Nam Philistaei a plagis suis liberati sunt et in terra sua manse-

1. Sensus est : Ne in hoc, quod crux liberum eum non dimitteret, excusationem haberent, simile miraculum fecit, scindens sepulcra in petris excisa, et mortuos ad vitam revocatos libere educens.

runt, dolores autem circumcisorum, qui revera incircumcisi sunt [1], renovantur de die in diem, quia nec in sua urbe manendi facultas eis dabatur, nec in eam iterum reverti possunt. Si propter corpus, quod occiderunt, et sepelierunt, opprobria ab eis nobis inferuntur, haec opprobria ipsis confusionem parant, quia hoc corpus vivificatum est et surrexit et sedet ad dexteram Dei. Tabulas, quas Deus excidit, in quibus sancta nomina [2] scripsit, propter quas et arca gloriosa constructa est, Moyses confregit et fragmenta earum non amplius conjungebantur, et partes earum [3] non amplius, uti partes corporis, connectebantur, nec vita, nec renovatio, nec aliud quidquam, quod vel corporibus peccatorum fiet, eis dabatur. Attamen ne reponant : Sanctus in utero nunquam habitavit, Ieremias eos arguit, qui dicit : « Antequam ego formarem te in utero, cognovi te et antequam exires e ventre, sanctificavi te [4].

Et si ulterius de cruce occasionem sumunt illudendi, ecce serpentes in deserto eos arguunt, quoniam maledicto serpente fideles sanati sunt, nam Judaei ausi sunt, crucem nomine maledicto notare. Et honorarunt arietem in arbore, figuram agni veri in cruce gloriosa [5], qui pro Isaac ligato mundum ligatum liberavit. Quia populus erat maledictus, per maledictum eos salvavit, gentes autem per vivificatorem omnium sanatae sunt. Quia traditi erant maledicto serpenti, qui ante eos per Moysen expansus est, coluerunt et adorarunt serpentem aeneum, qui pro corporibus animas perdidit [6]. Qui ad serpentem expansum respicere noluit, plagis suis interibat. Fortasse non erant digni intueri in Deum, ideo in serpentem eis similem intuebantur et salvabantur. Et quia Deus

1. Sic Aucher recte hunc locum vertit, qui ad verbum ita se habet : Dolores autem circumcisorum et incircumcisorum.
2. Ita ad verbum. Nomina h. l. verba significare existimo.
3. Ita in cod. B. In cod. A falso « ejus » legitur.
4. Ier. 1, 5.
5. Sic in cod. B. Conf. Gen. 22, 13.
6. Haec et sequentes duae sententiae ex cod. B correctae sunt.

praescivit, populum in Filium non crediturum esse, docuit eum per serpentem, ut confunderet crucifigentes, quia ille populus imaginem Salvatoris nostri coluerat.

Sanctuarium combustum et templum dirutum est, ut typum Christi efformarent, quia corpus ejus structurae templi simile est, et Babylonii similes sunt crucifigentibus. Si objicis, Deum haec propter peccata eorum fecisse, quaero, quid peccaverint templum et altare, Daniel quoque et socii ejus? Quemadmodum haec in consolationem facta sunt justitiae, quia dona promissa per hanc retributionem advenerunt, eodem modo et justitia consolationem accepit per corpus in crucem elatum, ut et per templum dirutum. « In servis suis, ait, consolationem habet » [1].

Prima laus Creatoris est, quod fecerit opera, altera, quod se ipsum operibus suis revelavit. Sicut ea cognovit, ita voluit, ut ab eis cognosceretur. Ab eo processit nomen divinitatis, quod veniens resedit in Moyse [2], ut Aegyptii Deum omnium rerum cognoscerent. Ab eodem Deo processit Verbum et veniens habitavit in carne, ut res creatae Patrem omnium rerum cognoscerent. In nomine ergo divinitatis [3] divinitas Filii praedicabatur et in nomine Filii [4] Paternitas Dei manifesta facta est. Aegyptii non audierunt Moysen, et virga ejus cruciati sunt, crediderunt autem in Filium, et cruce ejus salvati sunt. Baculo Moysis, typo crucis, populi praemonebantur; Aegyptii in signis plagarum et Amalecitae in praelio experimentum crucis didicerunt. Quum rudes adhuc essent, typo crucis regebantur; quum autem eis crux apparuisset, doctrina et institutione ejus tanquam illuminati et sapientes inventi sunt. Deus igitur Israelitas imagine crucis honorabat et alliciebat. Cum autem ille, cujus signis ho-

1. Psalm. 134, 14.
2. Exod. 4, 16.
3. Scilicet quod Moysi tribuebatur.
4. Ad verbum : « nativitatis ». Sed in Syriaco eadem vox filium et nativitatem exprimit.

norabantur, apparuisset, ipsum fecerunt in signum omnium opprobriorum, ut calcitrantes et recalcitrantes eum repellerent. Quum Israël, qui blandimentis abunde allicebatur et demulcebatur, plene institutus esset, « incrassatus et dilatatus est, et recalcitravit [1] ». A pueritia sua imaginibus crucis laetificati sunt, in fine autem in servitute inter gentes eos inclusit. « Qui delicatus est, ait, in servitutem tradetur » [2].

Vera forma typorum ad eos pervenit et ab eis commutata est, quamvis ex longo tempore per multas similitudines ejus exercitati essent, ut eum cognoscerent. Non cognoverunt illud corpus, cujus umbra eos operuit in deserto. Per lignum, imaginem ejus, aqua eorum dulcis facta est, et per serpentem, signum ejus, a plagis serpentum liberati sunt, ibique sabbatum et circumcisio damnabatur, quia neutrum eos potuit salvare. Hi sunt, qui aversabantur illam faciem, cujus forma continuo coram eis depingebatur. Propter colores verae picturae ejus, quibus tanquam indelebili pulchritudine splendebat, eis alienus videbatur. Omnes prophetae similitudinem tantum colorum ejus ostenderant, quia imago baculi non erat perfecta, ut signum crucis, et pulchritudo ligni, quod aquas dulces fecit, non erat perfecta, ut pulchritudo ligni illius, quo gentes dulces et mansuetae factae sunt. Quocunque similitudo hominis [3] transiit, per eam emotae et conturbatae sunt omnes creaturae, mare per virgam ejus, plagae serpentum per vexillum ejus, amaritudo aquae per typum ejus. Ubicunque autem Veritas apparuit, subito reprehensi sunt, qui sordibus obtecti erant. Hic est fons, qui beatitudinem sine invidia profert bibentibus, qui invicem non aemulantur. Emanavit aqua et in omnes partes directa est, ne unus ad potum alterius invidus respiceret.

1. Deut. 32, 75.
2. Prov. 29, 21.
3. I. e. Christi incarnati, qui typis repraesentabatur.

## CAPUT XXI.

In manus tuas commendo spiritum meum. Divina ejus natura humanam commendavit, nam illa hanc in passione deseruerat et reliquerat [1]. Non ita ab humanitate discessit divinitas, ut ab ea abscinderetur, sed in virtute sua [2] ab occiso et occisoribus abscondita est. Si enim divinitas apparuisset, is qui occisus est, non timuisset, et si haec revelata esset, occisores eum non potuissent occidere. Attamen divina natura humanam conservavit et custodivit, ne periret, quum natura custodiens sibi conscia et natura custodita haud sibi conscia esset [3]. Postea autem divinitas se manifestavit utrisque, occiso, quia non erat relictus [4], et occisoribus, quia opus suum non potuerunt perficere, nimirum, sepulcrum custodire et mortuum in eo detinere. Promissionem suam Dominus ipso facto mortalibus confirmavit, ostendens et opere demonstrans, humanam suam naturam pati posse, quia manifeste mortuus est, simulque comprobans eos qui mortui sunt, reviviscere posse. Deus igitur resuscitavit eum et fides ejus in audientibus confirmata est, et inimicus culpam et condemnationem suam cognovit, quum sol obtenebraretur, velum templi scinderetur, custodes conturbati fugerent et sepulcra aperirentur et mortui resurgerent.

Natus est Deus homini unitus, non nativitate personae suae [5], sed nativitate naturae sibi conjunc-

1. Respicit s. auctor ad verba: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ».

2. Ad verbum: « per virtutem suam », i. e. quoad efficacitatem virtutis suae.

3. Sic ex correctione cod. B. Ad verbum haec sententia sic redditur: « quum illa custodiens sciret, et haec custodita non sciret ». S. Pater ad corpus Christi in sepulcro respicit.

4. Scilicet in sepulcro.

5. I. e. non qua Deus, in natura divina.

tae [1], cui nasci secundum carnem naturale erat. Nullo enim alio modo aliquis ad humanam nativitatem pervenire potest, nisi eisdem nostris membris conformatus, nec quis mortem subire potest, nisi ex eisdem membris compositus sit. Dominus igitur ex ordine corpus a porta uteri usque ad portam sepulcri adduxit. Aperuit nativitate sua uterum clausum et aperuit resurrectione sua sepulcrum circumdatum et obsessum. Crucem vero mediam erexit, ut iis qui ex utero mortem subituri nascuntur, primum crux tamquam arbor vitae obvia fieret, cujus fructum in corporibus suis colligerent et accumularent, ut quando mors eos omnes in suo utero collegerit, hunc scinderent et de medio ejus exirent. In morte itaque Deus apud Christum non erat [2], non quia extra eum esse voluit, sed mors non poterat adire locum, ubi vita erat, quae mortem occidit. In nativitate autem Deus cum Christo erat [3], quia nativitas a divinitate non est aliena. Nativitas enim initium est rerum existentium et omnes res existentes conjungit et cum ipsa, etsi res sit creata, virtus [4] creatoris participat. Mors vero plenus interitus est eorum quae sunt, quumque Deus essentia sit, quae non dissolvitur, ideo morti subditus [5] esse nequit. Non enim ad nos venit, ut aliquid disceret sed ut sua plenitudine id quod nobis deficiebat, compleret.

Porro corpus ex sua natura passus est una cum anima patibili, quia anima est, quae sentit dolorem. Ergo natura ejus humana propter corpus passa est, et dolores sensit propter animam. « Spiritus, ait, veniet et virtus obumbrabit ». Idem corpus vitale factum est panis et cibus fidelium. « Spiritus, ait, veniet et virtus

1. Ad verbum : « nativitate naturae desponsatae ».
2. Verba Aucher sic reddit : « In morte itaque ille non erat ipse cum eo ». Sensus est : Divinitas visibili efficacitate non erat apud Christum morientem.
3. Verba Aucher sic vertit : In nativitate autem cum illo erat.
4. Ita in cod. B. In cod. A falso est dativus pro nominativo.
5. Verba juxta Aucher haec sunt : « Ideo mortificatio esse nequit ».

excelsi, quia is qui nascetur ex te, Filius Dei vocabitur [1], quod de corpore ex Maria sumpto, dixit. Qui ergo dicunt, corpus Salvatoris nostri speciem quandam fuisse, ut corpus angelorum, qui in domo Abrahae ederunt, convicti arguuntur, quia de illis angelis non est scriptum, quod infestati, cruciati, occisi et crucifixi sunt, sed formae eorum mutatae erant; non enim erant angeli corporales, sed formam induerunt, quae utilitati videntium conveniebat. Ne ergo putarent, Dominum iis esse similem, natus est, ut egrediendo ex utero opinionem ex mentibus tolleret, se similem tantum esse hominibus. Et si Christus filius erat Peregrini, sol in crucifixione ejus non esset tenebratus, sed ille creator lucem abundantiorem sparsisset, quia inimicus a facie ipsius ablatus esset, et lucem super Judaeos oriri fecisset, quia ipsius voluntatem perfecerunt. Et templum velum pretiosum induisset, quia a querelis inimici sui liberatum, et solutor legis ex eo ejectus esset. At pater Peregrini forsitan adduxit tenebras? Sed ecce, non sunt tenebrae apud eum; neque si tenebrae apud eum essent, eas adduxisset, primo, quia Deus bonus est, dein, quia ille dixerat: « Dimitte iis, quia nesciunt, quod faciunt [2]. Solem autem tenebris obduxit, ut qui ambulantes eum non cognoverunt, immo in crucem egerunt, tenebris in eos missis forsitan eum cognoscerent.

Velum scissum est, ut patefieret, Dominum ab eis regnum abstulisse et dedisse populo, qui fert fructum. Aut in scisso velo imaginem templi diruendi proposuit, quia Spiritus ejus ex eo exierat. Et quia summus sacerdos vestem suam injuste sciderat, Spiritus velum scidit, ut hac ratione per res creatas audaciam et superbiam Judaeorum indicaret. Quia ille sciderat sacerdotium eaque se exuit, scidit et hic velum et egrediens omnia secum tulit. Aut sicut dissolutum et reprobatum est templum, in quod Judas argenteos jecit,

1. Luc. 1, 35.
2. Luc. 23, 34.

ita et porta, per quam ille intraverat, velum suum apprehendit et scidit [1]. Corda petrarum dirupta sunt, corda autem Judaeorum non fecerunt poenitentiam.

Mense Arech vicit Dominus Aegyptios, et eodem mense Hebraeis per columnam illuxit. Obscuratus est sol, quia ea quae erant contraria, reddiderunt. Pro mari scisso scidit Spiritus velum, ut rex gloriae sine impedimento in crucem ascenderet super Calvaria. Sed quia idcirco populus velum templi non scidit per justitiam [2], cum Domino patiente passae sunt creaturae. Sol abscondit faciem suam, et ne eum in cruce pendentem videret, lumen in se retraxit, ut omnino emoreretur. Tres horas sol obtenebratus est, et postea denuo luxit, ut Dominum die tertia de inferis resurrecturum praedicaret. Montes commoti et sepulcra aperta sunt, et velum scissum quasi de futuro templi destructione contristata plorabat. Aut quia os hominum eum damnaverat, os rerum inanimatarum clamavit eumque justificavit. Illi tacuerunt et lapides locuti sunt, sicut Dominus praedixerat. Velum quoque aures eorum obserratas et obduratas scidit; et eum quem illi reprobaverant, glorificavit.

Et spiritus dilectum suum suspensum et illusum videns velamen, templi ornamentum, apprehendit et scidit. Aut [3] quia typi viderunt agnum typicum, scinderunt velum et stipati egressi sunt ad eum. Aut spiritus prophetiae habitans in templo, qui descenderat, ut hominibus adventum ejus praedicaret, tunc avolando ascendit, ut superis de ascensu Domini in coelum nuncium afferret. Aut [4] sepulcra scissa sunt, ut Dominus ostenderet, se lignum crucis potuisse scindere, quod non scidit, quia per illud scindendum erat regnum Israel, nec id contrivit, per quod peccata in gentibus conterenda erant. Econtra spiritus pro eo

1. Ad verbum: « Ad se traxit et scidit ».
2. I. e. quia velum super templum cordis sui positum per justitiam scindere noluerunt.
3. Sic in cod. B. In cod. A h. l. lacuna est.
4. Ita in cod. B. In cod. A: « Et ».

scidit velum templi. Et ut Dominus monstraret, se ex sepulcro exiisse, testes exitus sui vocavit justos, qui ex sepulcris suis exierant. Uterque igitur exitus mutuo se praedicavit. Et quia eodem Spiritu regnum et sacerdotium unctum et sanctificatum erat, exiit Spiritus et ad utriusque fontem rediit, ut patefieret, utrumque exiccatum esse per eum qui utrumque abstulit. Nos, etsi sciamus, nostro digito minimo abscisso corpus sanari, secus vero totum perire, tamen hoc nolumus facere, quod nobis profuturum non ignoramus. Deus autem, sciens morte Filii sui homines esse victuros, non aversus est, ut hoc faceret. Cur Deus Abrahae multos servos habenti non praecepit, ut unum ex his offerret? Quia amor Abrahae per servum suum non apparuisset, filio ejus opus erat, in quo amor illius palam fieret. Ita et Deus multos habebat servos, et per nullum ex eis charitatem in creaturas ostendit, sed per Filium suum suam erga nos charitatem voluit praedicare. « Ita, ait, dilexit Deus mundum, ut et Filium suum unigenitum », etc.[1]. Cur enim creavit Deus mundum, nisi ex charitate? Et pariter in charitate Filium genuit. Si Adam non peccavisset, quo in statu homines versarentur[2], Judaei nobis exponant. Similiter, si Judaei Christum non occidissent, alio modo Deus populum et gentes vivificare poterat. Satanas Adae consilium dederat ex arbore comedendi, quia putabat, se ei posse nocere, ignorans Dei providentiam, qui malum ejus in bonum convertet, juxta illud : « Si cognovisset populus, non egisset in crucem Dominum gloriae »[3]. Quum enim illi ex injustitia operarentur, opus eorum Dominus in suam gloriam convertit.

Stabant a longe cognati Iesu, ut impleretur, quod dictum est : « Cognati mei et proximi mei longe fuerunt a me »[4]. Ante sabbatum occiderunt eum,

1. Ioan. 3, 16.
2. Ad verbum : « Quomodo habitarent homines ». Cf. superius in explicatione ad Luc. 1, 6, dicta.
3. I Cor. 2, 8.
4. Ps. 37, 12.

quamdiu tempus erat occidendi; ante sabbatum eum sepelierunt, quum adhuc locus esset luctus, quia sabbatum finis est laborum et in eo omnis tristitia cessat[1]; non enim locus est in eo labori, nec pars corruptioni. Ab Abraham coeperunt mysteria ligni et agni typici. Isaac imago est agni. Servus quoque Jacob [2] lignum ostendit, quod cum aqua conjunctum est. Itaque lignum dignum factum est, ut Christus de eo penderet, quia os ejus non est fractum in eo. Terrae [3] ligno fructus ejus attrahitur; maris ligno rapiuntur thesauri ejus. Ita et corporis et animae. Iste est, qui percussus est a furore insanientium et silentio suo similis fuit surdo et muto, et vigore suo et agilitate sua ad excelsa humanitatis crescere fecit.

Et unus ex militibus percussit eum lancea. Opprobriis suis Dominus suos amicos honoravit[4], infestatores autem suos infestavit, ut inimici justitiam ejus, amici misericordiam ejus discerent. Fons ex latere ejus egrediens manifeste monstravit sanguinem, cujus culpam Judaei in se contulerant[5], sed et exierunt aquae, quae ad expiandum accelerabant. Sanguis aspectu suo contra occisores, aqua mysterio suo de purgatione amicorum ejus clamat. Et hoc factum est, ut scirent, Christum post mortem vivere. Quantum illi cruciatus ejus augebant, tantum thesauri in eo absconditi revelabantur. Divitiae coelestes in singulis membris ejus diffusae erant, ad quae quum occisores accederent, illae effluebant, ut amicos ditarent, crucifigentes autem ulciscerentur. Cucurri ad omnia membra tua, Domine, et ex omnibus omnia dona accepi et per latus tuum lancea perforatum in paradisum circum-

1. Ad verbum: « Omnis tristitia infra est », i. e. superatur, cessat.

2. Gen. 30, 37. Jacob tunc serviebat Labano.

3. Ita in cod. B. In cod. A falso « duo » est pro « terrae ». Hunc locum non intelligo.

4. Sic in cod. B. In cod. A falso: « Percussit ille amicos suos et iterum honoravit ».

5. Ad verbum: « quem susceperunt », scilicet dicentes: Veniat sanguis ejus super nos. Math. 27, 25.

septum introivi. Intrabimus paradisum per lanceam ex latere tinctam, quia perdidimus paradisum per costam ex latere egressam [1]. Quia ignis, qui ardebat in Adam, ex ipso latere ejus in eo accensus est, ideo latus Adae secundi apertum est, et ex eo fluvius aquarum exiit, ut ignem Adae primi extingeret.

Quia ex sanguine est omnis vita, exiit et sanguis per misericordiam tanquam mysterium vivificationis illius, qui a justitia poenam mortis meruerat. Per mediatorem malum ignis in hominibus accensus est, et per mediatorem bonum [2] aquae in eos diffluxerunt, quae illum ignem extinxerunt. Nihil pejus illo, qui deceperat Adamum, nihil se laedentem, nec ullus si comparandus est, nisi is qui Dominum post mortem perforavit. Malitia ergo per quod vicerat, per hoc et victa est. Exivit sanguis, quo nos a servitute mortis redemit, exiit et aqua, ut omnes ad sanguinem ejus salutiferum accedentes servitutem malitiae, cui erant subjecti, abluere possent. Exiit sanguis et aqua, quae ipsa est ecclesia Christi, super eum aedificata quemadmodum ex latere Adae uxor ejus sumpta est. Latus Adae est uxor ejus, et sanguis Domini ecclesia ejus. Ex latere Adae mors et ex latere Domini vita. Oliva est Christus, ex quo effluunt lac, aqua et oleum. Lac parvulis, aqua juvenibus et oleum aegrotis. Similiter aquam et sanguinem haec oliva dedit in morte sua [3].

Invidia persequuta est David, et odium et invidia filium David. Obsidebatur David in interioribus antri, et filius David in interioribus sepulcri. David videbatur [4] condemnatus, et filius David victus, sed condemnatus et argutus est Saul, et victa et destructa est

1. Scilicet per Evam.
2. Nimirum Christum.
3. In cod. B hic locus sic habetur: « Similiter aquam et sanguinem et oleum in morte sua dedit, nam oleum quoque in sua morte dedit ». In margine ibidem ad extrema vocabula adnotatum est: « Distributionem Spiritus ».
4. Sic in cod. B.

mors. Clamavit David : « Ubi est lancea tua, rex »[1], et clamavit filius David : « Ubi est victoria tua, mors »[2]. Misit Saul lanceam suam in David, et licet eum non percussisset, tamen paries testis fuit percussionis ejus ; sic et crucifigentes filium David lancea percusserunt, et licet potentia Christi non laederetur, tamen corpus ejus testatur de plagis ejus. David non est perforatus, et filius David non est laesus. Paries, lancea et antrum accusant Saulem, et corpus et crux et sepulcrum arguunt Hebraeos. Nemo est, qui ita se exaltaverit, ut homo, et nemo est, quod ita se humiliaverit, ut Deus. Nemo ita se exaltavit, ut homo, qui extendit manus ad arborem et creatori suo aequalem se facere voluit, et nemo ita se humiliavit, ut Deus, qui manus suas super lignum extendit et transgressiones, quae extensione manus primae intraverant, delevit.

Extendit Dominus manus suas in ligno crucis, ut mortem, quae per lignum erat, occideret. Oportebat enim, ut, quo pacto vulnerata esset caro, eodem sanaretur, et decebat, eum qui se exaltaverat, iisdem, quibus se extulerat, pessumdari, ut virtus illa appareret, quae omnia commutat. Sagitta enim illa, qua vulnerati sumus, facta est nobis remedium vitae. Telum, quo hostis praevaluit, factum est ei in timorem et tremorem, ut, quo veneno mortua est vita nostra, etiam mors noster occisor moreretur. Vitam Adae, per lignum destructam, Dominus assumpsit et in lignum elevavit, ut illum adduceret eique sub alis arboris vitae securam habitationem pararet. Quo die Christo vulnus inflictum est, vulnus clausum et signatum est. Feria sexta, quae Christo clavos inffixit, clavos per eum in inferis extraxit. Inter vivos latus ejus apertum in inferis vero clausum est. Et vulnus, quod claudebatur, ecce quomodo post decem dies dissolutum est, et digiti[3] intrarunt in illud !

1. I Reg. 26, 16.
2. I Cor. 15, 55.
3. Scilicet Apostoli Thomae.

Brachia Moysi Deus tenuit expansa, donec hostes ejus cecidissent et periissent. Manus quoque Filii Dei in ligno crucis Judaei distenderunt; at quia hi ei fecerunt contraria illis, quae erga eos fecerat, eis quoque fecit, quae manibus suis extensis contraria erant; ceciderunt enim, et amplius non sunt erecti. Similiter gentes, quae in manus ejus extensas crediderunt, quia experimentum mandati a Moyse de eis constituti eis ostenderat, id fecerunt, quod eis quae gentes illae priores fecerant, contrarium erat, et ideo etiam contrarium eis contigit [1]. Mortem autem crucis subiit, ut impleretur verbum: « Sicut ovis ad mactationem et sicut agnus ante tonsorem » [2]. Prius mori et postea tondi, difficile est videre in ordine naturae, sed hoc dictum est, quia Christus primo per mandatum ex ore judicis egresso occisus, et posthac in crucem actus est, in qua extensus super terram erectus stabat et similis erat ovi ante tondentem. Praeterea mortuus est cruci affixus, quo arcane significabatur, per mortem ejus omnes mortuos erigi et resurgere, quia ipse, quamdiu in cruce erat, in cruce erectus stabat, ad instar lapidis pretiosi in pectore summi sacerdotis. Ierosolymam dicunt in medio terrae esse propter Deum justum, quia legem ibi dedit, cujus radii emissi omnes fines terrae illuminarent. Et quia justitia ejus ibi erat, etiam misericordia ejus crucem ibidem erexit, ut brachia sua ad omnes partes expanderet et animas et spiritus universi orbis exciperet et complecteretur.

Mortuus est Iesus mundo, ne quis mundo viveret,

1. Sensus hujus loci est: Deus brachia Moysi expansa tenuit, ut hostes Israelis perderentur; Israelitae brachia Christi extenderunt, ut ipsum perderent, ideo extensis Christi brachiis non suscepti et salvati, sed reprobati sunt. — Gentes autem, perterritae per mandatum extirpationis, a Moyse de eis constitutum, non ut illi Amalecitae Israelem agressae sunt, sed in Christum crediderunt, ideoque per manus extensas Christi salvatae sunt, quum Amalecitae infideles per manus extensas Moysi perierunt.

2. Is. 53, 7; Act. Ap. 8, 32.

et versabatur in corpore [1] cruci affixo, ne quis luxuriose in corpore conversaretur. Mortuus est suo corpore mundo nostro, ut suo corpore mundo suo nos vivificaret. Mortificavit vitam carnis, ne nos per carnem carnaliter vivamus. Factus est magister, non alienis doloribus, sed propria passione docens; ipse enim prius gustavit amaritudinem, ut nos doceret, non per nomen, sed per passionem hominem ejus discipulum fieri posse. Quum ipse est ille amplus locus, cujus spacium sufficiens fuit omni plenitudini corporaliter [2], factus est angustus, ut ii qui ex simulatione discipulos ejus fieri vellent, discipulos ejus fieri impedirentur. Saporem, quem in omnibus ostendit, etiam nobis dedit. Alia est quaestio de eo qui apparuit in mundo et alia est persuasio de eo qui erat in apparente [3]. In mundo erat is qui supra mundum est.

Verbum veritatis venit in mundum et secundum suam veritatem, quae ad nos spectat [4], nos edocuit, ut cum eo ambulemus. « Porta, ait, angusta est » [5]. Transformavit se Dominus assumpta natura humana, ne ab eo abhorreamus, et intravit in domum mundi, cujus spoliator est. Rursus exuit statum et vitam mundi, ne eum in hoc mundo tenerent. « Et in me, ait, nihil suum invenit » [6]. Sed mundus ne paululum quidem temporis vitam ejus sustinere potuit, quia cupiditates ejus brevi illo tempore, quo apparuit, jam erant inveteratae et quasi ex vetustate corrumpi coeperant [7], et cum his etiam ille, qui per eas regnabat, eisque omnia

1. Ita in cod. B. In cod. A: « Versabatur in medio corporum tanquam crucifixus ».

2. Cf. Col. 2, 9.

3. Cf. Hunc locum Aucher ita vertit: Alia est quaestio de apparitione ejus in mundo, alia est persuasio de futura apparitione ejus.

4. Ad verbum: « Quae ad nos est » vel: « quae apud nos est ». Sensus esse videtur: Suam veritatem, quatenus eam comprehendere possimus, nos edocuit.

5. Math. 7, 14.

6. Ioan. 14, 30.

7. Hoc verbum in solo cod. B legitur.

corpora ligare volebat. Induit Dominus corpus et immortalia fecit corpora, quae mortem induerant [1]. Denudatio corporis ejus in cruce, denudatio est mortis nostrae, et depositio corporis ejus in sepulcro, spoliatio est vitae, quae est ex mundo [2]. Non tempus deliciarum hujus mundi nos emollivit [3], nec magnitudo certaminis ejus nos obstupefecit. Non decepit nos medulla donorum ejus, nec titillavit nos pompa chorearum [4] ejus. Non comprehendit nos laqueus insidiarum ejus, nec lancea mortifera [5] ejus regnavit in nobis, qui insectatorem et dissolutorem ejus cognovimus [6].

Duo baptismi apud Dominum, omnium purificatorem, inventi sunt, unus aquae et alter crucis, ut per baptismum passionis baptismum aquae doceret. Poenitentia eorum qui peccaverunt, ipsorum crucifixio est, quae membra eorum in abscondito transfigit et inhibet, ne cupiditatibus acti ambulent, et hanc praedicavit Ioannes ante Dominum. Duo ergo baptismi necessarii sunt justis et peccatoribus [7], et unus sine altero non potest salvare. Si dicis : Non dantur manifestae persecutiones, respondeo : Dantur tamen absconditae. Ecce, scrutatorum haeresis fidem tuam persequitur, confitere ergo sine scrutatione Dominum. Non sunt pejores persecutiones regum persecutionibus scrutatorum, nec sunt duriores ungulae haeresibus, nec tormenta quaestionibus, nec pellis detractiones concertationibus, nec capitis abscissio dubitatione. Persequitur te odium, confitere charitatem, persequitur te invidia, confitere concordiam, persequitur te cupido, sequere

1. Locus ex cod. B correctus.

2. Sic in cod. B. In cod. A : « Et quod corpore suo ex sepulcro indutus est, spoliatio est vitae, quae est ex mundo ».

3. Ita in cod. B. In cod. A falso : « permisit ».

4. Sic vertit Aucher hoc nomen, quod in lexicis Armeniacis deest ; adjungit autem per parenthesin « circumstantiarum ».

5. In cod. B : « Venenum mortiferum ».

6. Haec sententia ex cod. B completa est.

7. Scilicet baptismus sanguinis et baptismus aquae. Baptismus sanguinis est non solum martyrium, sed et constans confessio Christi.

temperantiam. Ita si persequitur te injustitia, confitere justitiam, si possidendi libido, confitere Dominum, qui possessor est omnium rerum. Omnes isti persecutores martyres persequuntur in ipsa pace. Quia hi vicerunt in absconditis persecutionibus, coronati sunt in manifestis. Exerce te in his, quae abscondita sunt, ut sic valeas resistere eis, quae palam sunt. Si enim in persecutionibus, quae intra te sunt, vinceris, quomodo speras te victurum esse in persecutionibus, quae sunt extra te?

Major est injuria crucis omnibus injuriis in populis et generationibus. Quod si mors Adae totum genus humanum morte affecit, quis poterat consistere coram magna hac injuria Domini gloriosi? Si in illa hora justitia a misericordia non recessisset, quis vim justitiae sustinere potuisset? Et quis nobis propitius esset, nisi misericordia nobis dimitteret? Itaque misericordia in nos propitia fuit, dum Dominus pendebat in ligno, et propter honorem justitiae rejecit et negavit scientes et vocavit nescientes. « Nesciunt, quid faciunt ». Attamen justitia ejus in parabola vineae praevertens testata est et nos [1] arguit dicens: « Coloni haeredem vineae cognoverunt ». Non enim, quum haeres advenisset, sed dum adhuc longe abesset, cogitaverunt eum occidere, ut haereditas in sorte ipsorum maneret.

Et ne quis insurgeret et justitiam ejus impugnaret, et misericordiam ejus blasphemaret dicens: Nec tempus adventus ejus cognoverunt, nec quid eis prodesset, intellexerunt, et cur se ipsum populo occultavit et gentibus se revelavit? ad haec justitia ejus responsum dedit. Ne quis justitiam ejus inculparet, praeveniens ostendit, quod eum noverunt, et ut misericordia ejus propter remissionem et expiationem laudaretur, dixit, quod eum non noverunt [2].

1. Sic uterque codice habet. In cod. A ad marginem adnotatum est, pro « nos » legendum esse « eos ».

2. In cod. B: « quod eum non noverunt, neque quid facerent contra eum ».

Maria per Evam, Joseph per Josephum celebratur [1], quia et ei, qui petiit corpus Iesu, Josephi nomen erat. Prior Josephus erat tam justus, ut ait Scriptura, ut non diffamaret Mariam [2], et posterior quoque justus erat, quia calumniatoribus in consilio et operibus eorum non consenserat [3]. Quibus ostensum est, quod Dominus nomini, cui se prius confiderat, quum nasceretur, etiam concessit, ut ipsum involvere mortuum, ut illud nomen perfectam mercedem recipere-ret, quia ei serviebat in nativitate in spelunca, et corpus ejus curabat in sepulcro.

Obsignarunt sepulcrum ejus, quod pro Christo et contra eos accidit, ut in Daniele et Lazaro. Quum in lacu Danielis sigillum suum viderent, cognoscere poterant, qualis potentia liberaverat eum qui in lacu erat, et intuentibus portam sepulcri clarum fieri debuit, adesse potentiam, cui omnia sunt facilia. Corpus suum ex sepulcro signato eduxit et sigillum sepulcri testis fiebat sigillo uteri, quem obsignaverat. Quum obsignata esset virginitas uteri et sepulcri, filius Dei vivi inde exivit, et utrobique primogenitus evasit. Lapis positus est ad ostium sepulcri, lapis ad lapidem, ut lapis custodiret lapidem, quem rejecerunt aedificantes. Lapis, qui manibus apprehendebatur, appositum est, ut includeret illum lapidem, qui sine manu excisus est. Lapis, super quem angelus sedit, appositus est, ut illum lapidem includeret, quem Jacob sub capite suo posuit. Lapis sigillo firmatus appositus est, ut custodiret illum lapidem, cujus sigillo fideles custodiuntur. Exiit ergo porta vitae ex porta mortis. « Haec est, ait, porta, per quam justi intrant » [4]. Quum Dominus inclusus est, solvit inclusos, et per mortem ejus mortui vixerunt, per vocem ejus tacentes clamarunt, in resurrectione ejus terra mota est, et egrediendo ex sepulcro gentes in ecclesiam introduxit.

1. Verbum hujus sententiae in utroque codice deest.
2. Math. 1, 19.
3. Luc. 23, 50-51.
4. Psalm. 117, 20.

Maria primo mane ivit ad sepulcrum, quum Dominus jam resurrexisse, et nemo horam resurrectionis ejus noverat, sed Maria id dixit discipulis; non enim oportebat, ei qui infinitus est, horam resurrectionis adscribi. Quod autem non completi sunt tres dies, ita explicant. Quia Judas se ipsum suspenderat, multi Christum incriminantes [1] dixerunt: Quid hoc, quod non tantum se ipsum non poterat salvare, sed et illius animam perdidit [2]? ideoque, ut hujusmodi opinionum figmenta auferret, resurrexit ante tempus statutum. Porro dicunt, quia secus discipuli ab eo defecissent. Si enim Simon, eorum caput, jurans eum negavit, quanto magis illi, qui eum sequebantur? Quam ob causam praeveniendo mentes eorum confortavit, ne conturbarentur, quoniam, ut ajunt, nec filii dextrae [3] continuo sperabant, eum ex sepulcro exiturum esse. Et quia usque illud tempus nemo tale opus fecerat, ideo sapientia ejus ad eorum solatium accurrit. Aut ex illo die, quo crucem ascendit, una cum die, quo resurrexit, triduum descensus et ascensus ejus numeratur. Aut ex quo die corpus et sanguinem suum eis dedit, hoc triduum consummatum est.

Vestimentum, quo in sepulcro involutus erat, ibi reliquit, ut homo [4] in paradisum sine veste intraret, sicut illic erat, antequam peccaverat. Quia homo vestiebatur, quum egrederetur ex paradiso, denudabitur, quando intrabit in eum. Aut ideo vestimentum ibi reliquit, ut mysterium resurrectionis mortuorum significaret, quia sicut ipse surrexit in gloria sua, et non in vestibus suis, ita et nos operibus nostris resurgamus.

Illi, data pecunia, eis persuaserunt, ut dicerent: « Discipuli, nobis somno sopitis, eum fu-

1. In cod. B: « Illudentes ».
2. Hic forsitan sensus est textus correcti ex cod. B. Verba cod. A Aucher accurate sic reddit: « Multi inculparunt eum, quod quare pro eo et sibi ipsi non potuit vivere, perdidit seipsum ».
3. I. e. electi.
4. Ad verbum « Adam ».

rati sunt », quibus verbis a se ipsis prolatis edocti sunt, a Domino mortuos ex sepulcro vivos eductos esse. Porro eos docuit, se non furibus opus habuisse, ut testes resurrectionis ejus fierent. Is qui mortuos vivificavit, et animas in eos revocavit, potuit et sepulcrum suum aperire et lapidem resurgendo revolvere. Praeterea Dominus novam viam ante se aperuit; nam justi recenter natis infantibus similes erant [1], et coeli absconderunt lucem, aër tenebris obscuratus est, terra fidit suas petras, ventus scidit velum, sepulcra dimiserunt mortuos suos.

Quum Adam propter peccatum mortuus esset, decebat, ut is qui peccatum sustulit, etiam mortem auferret. Sed quemadmodum Adae dictum est: « Quo die comedes, morte morieris », et eo die, quo comedit, non mortuus est, sed pignora mortis accepit, quum nudus appareret et gloria sua spoliaretur et continuo mortem praevideret et timeret; eodem modo et nos vitam in Christo accepimus; nimirum corpus ejus pro fructu illius arboris manducavimus, et mensa ejus pro paradiso voluptatis nobis facta est, et justo ejus sanguine maledicta a nobis abluta sunt, et per spem resurrectionis futuram spem expectamus, et jam in vita ejus ambulamus, quae pignus nostrum facta est.

Noli me tangere [2]. Quod dictum est, primo, quia hoc corpus primitiae sepulcri est, et ipse Dominus, tanquam sacerdos ejus, ab omnibus manibus caute id custodivit, ut illi manui daret, quae tale munus [3] suscipere, et simile munus reddere possit. Secundo tangi noluit, ut doceret, corpus suum honore et gloria jam esse indutum, quo et indicavit, eo tantum tempore, quo servus erat, super corpus suum omnibus hominibus potestatem datam esse, quia et publicani et peccatores venerunt et ad id accesserunt.

1. Nimirum exeuntes ex sepulcro quasi ex utero.

2. Sequentia usque ad verba: « Porro id fecit, ut ostenderet », in solo cod. B leguntur.

3. Haec vox in Armeniaco significat: 1 donum, 2 oblatio, 3 sacrificium.

Porro id fecit, ut ostenderet, suos inimicos potestatem non habuisse manus in eum inferendi. Amicis autem ejus facultas est alio modo ad eum accedendi, videlicet in amore et timore. Qui quum quasi passioni eum submittant, quoniam eum, seu sacramentum corporis ejus, manducant, hos manducantes simul docet, ut ipsum imitantes corpora sua passioni submittant, et sicuti ipse per passionem suam eos laetificavit, ita et ipsi sua passione eum laetificent. Rursus dicunt, Mariae eum tangere non licuisse, quia sacramentum corporis et sanguinis ejus non acceperat, ut exemplum proponeret, quod non solum inimici, ut Judas, sed et illi amici, qui non sunt obsignati [1], sicut Maria, ad mysterium ejus non accederent. Porro quia Eva extendendo manum corpus hominis morti subjecerat et omnibus doloribus cumulaverat, ideo Dominus Mariae non concessit, ut ad corpus suum accederet, sed corpus istud illi brachio reservavit, quod id fecit sedere ad dextram suam, et illi manui, quae id post exaltationem omni beatitudine cumulavit [2].

Dein quia Maria dubitavit, quando audierat, eum surrexisse, et venit et vidit eum et dixit: Si tu sustulisti eum, ideo hoc dixit, ut ei ostenderet, se vere resurrexisse. Ad Patrem meum ego ascendo, quibus verbis non asserit, quod, quum ad Patrem ascendit, ad eum non accedant, sed quia illa dubitaverat, dixit ad eam: Donec ascendo ad Patrem meum, non accedes ad me, ut illud: Tuam ipsius animam pertransibit gladius [3], i. e. denegatio. Attamen si ideo, quia de resurrectione ejus dubitavit, eam arcebat, ne ipsum tangeret, ecce et Thomas dubitavit et tetigit eum! Sed hoc dicemus: Sicut praedixerat suam pas-

1. Obsignatio h. l. conjungitur cum acceptione eucharistiae, quod ad ritum Orientalium spectat, qui eucharistiam statim post baptismum distribuunt.

2. Ad verbum: « coronavit ». Sensus est: Christus non permisit tangi corpus suum, antequam elevatum esset ad coelum, ubi a Patre gloria coronatum est.

3. Luc. 2, 35. Confer superius pag. 29 adnotata.

sionem, antequam pateretur, et suam resurrectionem, antequam resurgeret, ita hoc loco ascensionem suam voluit praedicere. Postquam itaque dixit: « Noli me tangere », nova praedicatio ascensionis ejus Mariae tota et plena obtigit; ait enim: Vade, dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum et ad Deum meum et ad Deum vestrum. Dicit: Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem meum. Et ecce Cleophae et socio ejus benedixit et cum discipulis manducavit et Thomae latus suum ostendit; cur ergo impedivit Mariam, ne ipsum tangeret? Forsitan quia eam Ioanni pro se tradiderat. « Mulier, ait, ecce filius tuus » [1]. Attamen nec primum signum fuit sine ea, nec initium sepulcri sine ea [2]. Licet eum non tangeret, confortata tamen est.

Nondum ascendi ad Patrem meum. Falsam opinionem Mariae suo responso refutare videtur. Docuerat eam, sicut et discipulos, se ad coelos ascensurum, in fine mundi in corpore venturum et ei dona promissa daturum esse. Et quia Maria ex improviso eum cognoverat, mens ejus ad novissimum ejus adventum abrepta est, et putavit, regnum coelorum advenisse. Ideo dixit: « Nondum ascendi ad Patrem meum ». Porro, quia Christus, novo modo natus, primogenitus est ex sepulcro, quo gentes et generationes et nationes intereunt, per hoc docuit, quod in resurrectione non patres ad filios, nec filii ad patres se convertent, sed omnes ad hoc unum, num digni sint, ut per misericordiam ascendant ad Patrem.

Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Quod si ita, ut scriptum est, intelligitur, tunc Pater in coelis est, non autem in terra. Si enim in terra esset, cur Filius in coelum abiret? Si dicis, Filium in coelo non

1. Ioan. 19, 26.

2. Sensus est: Sicut primum signum Canae in Galilaea non sine matre Domini factum est, ita nec exitus ex sepulcro sine ea fiat.

fuisse, repono, quod nec Pater est in terra. Dixerat: « Et ego ad te venio, mi Pater » [1], non autem: « Mi Deus ». Quando eum alloquebatur, vocavit eum Patrem, ut ostenderet, se esse ab eo. Sed cum nuncium misit ad discipulos suos dicens: « Vado ego », vocavit eum « Deus meus », ut infirmitatem suam ostenderet, quamdiu cum eis versaretur. Sed iterum ait: « Non ego solus sum, quia Pater meus mecum est » [2]; et: « Ego in Patre, et Pater in me, et unum sumus » [3]. « Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, ad Deum meum et Deum vestrum ». Notandum est, eum prius dicere « ad Patrem meum » et tunc « ad Patrem vestrum », et « ad Deum meum » et tunc « ad Deum vestrum ». Si verba aequalia posuisset, forsitan illorum interpretationi locus daretur [4].

« Pater meus et Pater vester, et Deus meus et Deus vester ». Utrumque de humanitate ejus dictum est. De corpore suo, non de Verbo Dei dixit, se vadere, ut et illud « ad Patrem vestrum », quia illi homines erant. Similiter et de sua humana natura loquitur in eo loco, ubi dicit: « Pater noster, qui es in coelis » [5].

Simoni dictum est: Sequere me, quibus verbis Dominus ei mortem praedixit. Ille conversus est et conspexit et vidit discipulum illum, et dicit ei: Et hic, Domine, quid? Dixit ei: Quid hoc tibi curae est? Quid mali dixerat Simon? Nihil aliud dixit, nisi quod Dominum oravit, ut illi discipulo suaderet, ut et hic eum sequeretur [6]. Itaque Dominus per interrogationes Si-

1. Ioan. 18, 11, ubi in textu originali alia est sententiarum divisio.
2. Ioan. 16, 32.
3. Ioan. 14, 11; et 10, 30.
4. Ad verbum: « Forsitan verbis eorum locus datus esset. Contra negantes Christi divinitatem haec dicit.
5. Math. 6, 9.
6. Hic locus ex cod. B emendatus est. Cod. A sic habet: Conversus est ille et conspexit et vidit discipulum illum, et dicit ei: « Et hic, o Domine ». Sic legitur in codice A, a quo textus impressus differt.

monis docuit [1], se cum Patre suo potestatem habere super mortem, quum dicit: « Si volo »; noluit autem, ut ambo [2] isti virtute mortis ejus coronarentur.

Dominus oleum [3] symbolum nominis sui discipulis suis dedit, simul indicans, se totum esse cum singulis eorum. Quum ipse sit dies, etiam lucem dedit lucernis, et tenebras eorumque opera expulit. Tristitiae nimirum et consolationis nomina per mundum currunt et ad omnes homines pars earum pervenit [4]. Ante adventum Domini non erant aequales in suis effectibus, sicut in suis nominibus [5]. Tristitia quidem in effectibus aderat, ut et nunc adest, ad separationem eorum quae finem habebant et cessabant [6]; consolatio autem tantum nomine aderat, quasi per prophetiam [7]. Dominus autem hoc nomen una cum effectibus ejus assumpsit, quia per omnes suas creaturas membra sua [8] divisa et imagines suas delineatas habebat; nam omnes creaturae eum conceperant, ut eum parerent, id est, ut eum revelarent.

Consolationem ergo, quae prius jam disposita erat, in effectibus nobis dedit per resurrectionem suam, et quum discipulos suos in Capharnaum, urbe consolationis [9], congregasset. Et tristitia, quae olim in effec-

1. In cod. B pro « docuit » est « dixit ». Sensus est: Dominus non reprehendit Simonem, sed interrogatione ejus usus docuit suam potestatem.

2. « Ambo » ex cod. B insertum est.

3. In cod. B pro « oleum » est « unctionem », sed in margine lectio codicis A indicata est.

4. Ad verbum: « Super omnes homines veniunt membra earum ».

5. I. e. Non aeque aderant in suis effectibus atque in suis nominibus. Tristitia nomine et effectibus aderat, consolatio nomine tantum.

6. I. e. Per tristitiam et afflictiones mali a bonis, peritura a permanentibus separabantur, uti et nunc separantur.

7. Scilicet in omnibus unctis prophetis, regibus et sacerdotibus. Unctio enim consolationem indicat.

8. Membra h. l. sunt typi et imagines Domini, ut ex mox sequentibus patet. Confer ep. ad Col. 2, 16: « Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi est ».

9. Nomen « Capharnaum » s. auctor recte interpretatur

tibus aderat, hodiedum solo verbo nominatur, quod etiam docet locus Isaiae: « Videsne spiritum, qui descendit, et salvationem, quam praedicavit », etc. [1]. Quia debita nostra per defectum a Deo multitudine sua super omnia invaluerunt, adeo ut nec prophetae, nec sacerdotes, nec justi, nec reges eis solvendis pares essent, ipse Domini filius cum venit, in omni loco omnium captivator factus est, et debita nostra nec in utero, nec in nativitate, nec in baptismo persolvit, donec cruci traditus mortem gustasset, ut mors ipsius damna nostra compensaret, quoniam per eam sunt soluta, quibus solvendis omnes creaturae impares erant.

Postquam Dominus ex eis, qui morti subjecti erant, et ex illa natura, super quam mors regnabat, pignus vitae sibi sumpsit, elevatus est et Pater ad dextram suam eum fecit sedere tanquam obsidem terricolarum [2]. Inde ex natura sua pignus verum, Spiritum Paraclitum, pignus vitae in eos demisit. Quod si a servitute peccati liberati sumus, num per servum liberati sumus [3]? At non liberantur servi per servos. Audi haec duo mirabilia opera. Quis divisit linguas? Pater. Num peccatores erant ii, quorum linguae confusae sunt, an justi? Peccatores. Spiritus autem, qui missus est, ad quem venit? Ad Apostolos. Nonne hi justi erant? Sane. Cur ergo Pater peccatorum, et Spiritus justorum et Apostolorum linguas dividit? Quod si ita est, majus et nobilius est opus Spiritus, quam Patris. Dominus corpus nostrum secum elevavit et ad alta evexit, ut illud pro corporeis [4] intercederet, et

« urbs consolationis ». Dominum discipulis post resurrectionem in Galilaea apparuisse, Scriptura testatur.

1. Cf. Is. 61, 1.

2. Ad verbum: « inferorum », vel « inferiorum », i. e. qui infra coelum, ubi Christus est, habitant.

3. In his et sequentibus s. auctor refutat negatores divinitatis Spiritus sancti et ostendit, Spiritum sanctum non esse servum, i. e. creatum, ut haeretici affirmabant.

4. Ad verbum: « pro cognatis suis ».

per illud inferiores apparerent in aula [1] regis superni, quum et ipsa divinitas per corpus nostrum ad nos se humiliasset et descendisset.

## CAPUT XXII.

Sed vos permanebitis in Ierusalem, donec accipietis promissionem Patris mei [2]. Id quippe est, quod dixit Joel: « Prophetabunt filii vestri et filiae vestrae ». Additur: « Sanguis et ignis »; sanguis propter crucifixionem ejus, et ignis propter linguas [3]. Dominus itaque, videns post mortem suam discipulos inter turbas, quae ad hanc festivitatem ascenderant, in tristitia dispersos [4], suos architectos misit, ut fidem titubantium confirmarent, misitque firmas suas columnas [5], ut mentes infirmorum elevarent et sustentarent. Et illi in Apostolis ejus eandem virtutem aspexerunt, quam cum corpore ejus in cruce perditam putabant. Quumque nomen Christi occisi mortuos suscitans viderent, mors ejus in oculis suis major apparuit, quam vita. In vita enim ipse ad vitam revocabat; quum vere mortuus putaretur, nomen mortui mirabilia in mortem operari coepit, ut clare ostenderet, quod si nomen suum, quum mortuus esset, mortem subjecit, nullo modo mortem vivae suae virtuti resistere potuisse [6].

Omnes tristes casus, qui tribui Judae acciderunt, pertransierunt, sed regnum ejus ad instar regni

1. Ad verbum: « ad portam regis superni ».
2. Luc. 24, 49. Act. Ap. 1, 4.
3. Ad verbum: « et ignis, i. e. linguarum ». Confer Act. Ap. 2, 3.
4. Haec sententia ex cod. B emendata est.
5. Scilicet Apostolos, qui « columnae » vocabantur. Cf. Gal. 2, 9.
6. Verba hujus sententiae sic se habent: « quod si, quum mortuus esset, nomen ejus mortem obedire fecit, quomodo mors vivae virtuti ejus resistere poterat »?

Ephraem non est ablatum [1], quo patebat, aliquid in tribu Juda absconditum fuisse. Videat ergo, num id quod in ipsa latebat, hodie adhuc in ea extet, idemque qui antea semper fuit, ei honor servetur? Quod si jam honor ejus nullibi est, illa quoque manifesta expiatio ab ea ablata est, quae in ea abscondita erat, et quia haec in gentibus recondebatur, honor quoque ejus eam sequebatur. Et ecce, prophetae inter gentes continuo prophetizant [2], quia scripta eorum continuo leguntur et fides eis habetur; et signa continuo fiunt, quia signa primo et medio aevo facta per fidem eis repraesentantur, et sacrificia continuo offeruntur, sicut illa priora [3], et illa domus Jonadab [4].

Sed dantur quidam [5], qui fimbrias veritatis apprehenderunt eisque annexi sunt [6] et haec propter virtutem et vim suam eos ruere non sivit. Noli quaerere vim verborum, quorum sensus vagus est et claudicat, sed attende ad contextum eorum, quo nimirum tempore dicantur et de quibus enarrent, nec confugias ad diverticulas, sed ad gravitatem sanae persuasionis. Testamentum [7], quo Spiritus membra Christi delineavit, in mysteriis absconditam ejus formam clare ostendit [8]. Magna significavit nominibus, et abscondita exposuit per manifesta; indicavit tempora et ostendit numeros; ordinavit horas et momenta, et arcana posuit in nominibus et sapientiam in expositionibus. Sapientia antiquorum operibus magis excelluit, quam verbis, et multitudinem scientiae cum silentio praetulerunt exercitationi linguae.

1. Haec sententia ex cod. B correcta est; in cod. A nonnulla verba desunt.
2. In cod. A est « prophetizabant », in imperfecto, quod h. l. ut saepe continuationem actionis significat. In cod. B est tempus praesens. Idem de mox sequentibus verbis valet.
3. I. e. Sacrificia antiqui Foederis.
4. I. e. sacrificia vitae asceticae. Confer Ier. 36, 6-7.
5. Scilicet ex Judaeis.
6. Ad verbum: « et suspensi sunt ».
7. I. e. Scriptura antiqui testamenti.
8. Sic in cod. B. In cod. A falso: « ostendere ».

Pietatem quasi Deum cole [1]. Scito bonum esse, bonum facere, et perpende, malum esse, cogitare malum; quaecunque enim cogitas, licet non facias, tamen mala, quae cogitas, quasi characteres animo tuo imprimuntur, sed et imago bonorum tibi inscripta manet. Homo bonus quasi mens Dei est, et intellectus arcana inquirens propheta est eis qui ipso indigent. Qui relicta veritate ad speciem ejus refugit, hoc ipsum refugium eum morti tradet. Divitias, quas conservare non potes, a Deo ne petas, quia dona Dei non auferuntur. Excita animam tuam, ut sapientia ei indita ea quae digna sunt, cognoscas et libera voluntate, qua illa pollet, quodcunque praeceptum est, facias [2]. Quod fit ad mentem malorum, hoc per se pejus est illis. Verba, quae non sunt sancta, vox sunt et sonitus. Verbositas peccatis non caret, multi sermones indicium sunt defectus consilii et disciplinae. Platonem socii sui, Socratis discipuli, interrogarunt, quid ex bonis praecelleret. Qui dixit: Primum est sapientia, quoniam reliquae res auferuntur, et cuivis rei alia res adversatur: opulentiae paupertas, amori mors, gloriae aemulatio, robori morbus. Opulentia autem mentis sempiterna est; divites consolatur in laboribus divitiarum, pauperes sublevat et a desideriis egestatis liberat, seniores confortat, pueros consilio regit et juventutem mitigat. Nonnumquam, occurrentibus tribulationibus, quasi in navigio versatur, quia virtus est, quae omnia superat.

Facilia Domino, quae nobis difficilia, et expedita, quae nobis impossibilia, sicut ipse suo exemplo in primo adventu nos docuit, qui fuit in humilitate et plenus gratiae. Et ostendit nobis, majorem esse numerum petitionum nostrarum, quam nos effari pos-

1. Verba Aucher sic reddit: Pudorem time, sicut Deum. In cod. B haec verba, et quae usque pag. 251, lin. 28 sequuntur, h. l. desunt, et ad finem p. 258 adjecta sunt. Contextus sermonis ordini codicis A favet.

2. Sic in cod. B. In cod. A falso pro ⲛⲣ est ⲛⲉ.

simus [1], quia aures suas et dona sua ad nos demittit, ad nostram respiciens voluntatem. Quod enim non ob multa verba nobis ea quae petimus, concedantur, sed quod amando omnibus thesauris potiamur, nobis clare indicavit, quando nos a Scribis et Pharisaeis jussit cavere, qui producebant precationes et extendebant avaritiam. Et misericors propter se ipsum nos docuit, etsi nos taceamus, preces nostras apud eum conscriptas esse [2]. Ob pauca verba justificavit Dominus publicanum et cum laude filiorum coelestium, de poenitentibus gaudentium, eum descendere fecit. Vox ejus advocavit Zachaeum et sonus hujus vocis in corde Zachaei quasi coagulum factum est, eumque de ficulnea et arcane etiam de operibus ejus deduxit. Vox Domini terminum posuit peccatis illius, cujus injustitia modum non noverat. Dominus miserationes suas super filium Timaei vocavit, quum ejus indigentiam vidisset, et inter frequentes illius voces angeli praecones erant auxilii ejus. Ita et mulier peccatrix, quae ipsa per remedia, quae sumpsit, suis vulneribus mederi tentaverat, ad eum, cui omnia sunt facilia, venit, ut, qui omnia vulnera sanat, omnibus modis veniam suam immisceret.

Hic est, qui amat justos, et miseretur peccatorum; hic est, qui justificat bonos et contra malos defendit. Propter justos et [3] pro poenitentibus contendit, et quum illi, qui in opere perseveraverant, de otiosis, qui mercede et non operibus eis aequales habiti sunt, murmurarent, verba, quae contra eos qui misericordiam assecuti sunt, dicta erant, retorsit in eos qui mercedem acceperunt, eis ostendens, etiamsi misericordiam non experti essent, nec debitam mercedem

1. Ad verbum: « Majorem esse numerum petitionum nostrarum, quam nos ».

2. Verba codicis A Aucher sic reddit: « Sed docuit nos misericors, per silentium de se ipso, quia haec scripta sunt apud eum ». Textus codicis B ad verbum ita habet: « Et docuit nos misericors propter se ipsum (vel de se ipso), per silentium haec apud eum scripta esse ».

3. « Et » explicationis causa inserui.

eis esse negatam [1]. Pro gloria eis fuit, quod eorum non est misertus, ne privaret justitiam eo quod justitiae erat; ab iis enim, qui misericordiam ex gratia acceperunt, tales aestimati sunt, qui retributionem ex justitia acceperunt. Sicut igitur eum qui reprehendi nequit, decuit, ut aliquid erga infirmos faceret, quod justitiam excederet, ita et eum qui sapientissimus est, decuit, ut id non faceret, quod tanquam fines misericordiae excedens contemneretur. Verum si Deus exigit et occidit, num natura origine sua mala in eo proditur? Absit. Aut si clemens est et miseretur, num injustitia eum commovit? Sed nec quando condemnat [2], in fluctuatione est propter desiderium, ut homo poenitentiam agat, quia non ut ignorans clemens est et miseretur, nec cogitationes ejus in timore et anxietate versantur, num forsitan homo convertatur, quasi hoc eum lateat [3]. Verum sicut praescientia ejus in eo est, haec ipsa fit vas administrationis et dispensationis benignae suae voluntatis. Et quando quod justum est, judicat, aut quando miseretur, utriusque consummatio lucide coram eo patet, quia haec non latet eum qui ipse illius est auctor. Mundus hic patitur cum unoquoque nostrum, i. e. nos per nos cum ipsos, Deus vero tantum per scientiam, ut et nos cum eo qui febri laborat, per scientiam tantum patimur.

1. Confer dicta superius de parabola operariorum in vinea.
2. Ita in cod. B. In cod. A: « Nec quando eam condemnat ».
3. Haec sententia ex cod. B correcta est; in cod. A nonnulla vocabula desunt.

# PRECES [1].

In miserationibus tuis, quibus janua auxiliorum tuorum patet, haec nobis revelantur. Dominus quasi pugnat per nos contra nos. Si homo in omnibus, in quibus certamen habet, tua virtute certaret, in omnibus vinceret per tuam voluntatem [2]. Nos autem vasa sumus reprobantia [3], ut ab his procacibus vasis victoria creatoris eorum perficiatur. Ast sine foedere visibili fieri nequit, ut nos non peccemus, qui ligati sumus in libertate, quia hoc foedere nobis opus est, ne juxta impetum voluntatis nostrae circumferamur, sed ut sola Dei charitas super nos diffundatur, quae nos subjiciat non vi, sed urgens tantum propter nostram utilitatem [4]. Hoc ergo foedus, cujus potestas irreprehensibilis est, propter gloriam suam delicta nostra dimittere potest. Quod non ideo dicimus, quia nobis utile est, sed quia nos non pudet, utilitatem nostram in Scripturis Domini quaerere.

Num tu, Domine, indiges, ut thesauros nostros tibi demus? Quid aliud desideras, quam ut manus nostras tendamus, ut ex tuis remediis accipiamus, dum per obedientiam tibi nostram voluntatem tradimus. Omnia enim opera tua coronis suis splendescunt, quibus sapientissimum os tuum ea coronavit, quum dixisti: « Ecce valde bona sunt » [5]. Quocunque nos tibi benedicimus, per hoc debitores efficimur. Sub exiguitate

1. Haec inscriptio in solo cod. B habetur.

2. Hunc locum per ellipsin explicavi, Syris vulgarem, qua verbum una vice pro duabus vicibus positum est. Aucher sic habet: « Si cum omnibus pugnaret tua virtute, omnes vinceret tua voluntate ».

3. Scilicet gratiam Dei. Aucher: « vasa ingrata ».

4. Haec sententia magna ex parte ex cod. B correcta est. In cod. A nonnulla vocabula false scripta sunt. Idem de sequenti sententia valet.

5. Gen. 1, 31.

inclusae sunt nostrae gratiarum actiones et multo distant ab eis quae tu praeveniens dedisti. Nec propter justitiam tuam tuis miserationibus terminus ponatur, nec cum eis gratiae tuae dona finem habeant, nec tu minor nobis videaris, qui major es nobis [1], quando tacere facies [2] misericordiam tuam in vindicta tua, et gratiam tuam in cursibus suis impedies, ita ut perditio nostra eam praeveniat. Nam miserationes tuae vasa sunt gloriae tuae nostris infirmitatibus adaptata, quae nobis praedicent de bonis, quae a te veniunt.

Itaque concursum justitiae tuae per abundantiam harum miserationum irritum fieri oportet. Et sicut initium nescis, ita nec finem [3] vocabis, et sic servis tuis misericordia tua firmatis et gratia tua confortatis undique tristitiam poteris seminare. Noli ergo te privare domo tua, qua dissipata et perdita homines ex defectu salis nostri insipidi fient; tu enim gustum salutaris tuae misericordiae nobis dedisti dicens : « Mundus per gratiam aedificabitur ». Num minorabis nobis misericordiam tuam, qui defensor es utilitatis nostrae ? Jam vita Adae praeco fuit misericordiae tuae, qua haeredem [4] sibi potuit suscitare, qui tristem [5] ejus haereditatem perderet, nam denuo per poenitentiam in Adamo secundo voluisti possidere hominem, qui sub utroque [6] desciscere conatur a cibo tuo, qui vitam ejus veterem extirpat in regno tuo [7]. Per misericordiam tuam Abel primum in orco deposuisti, ut orcus per justitiam cogeretur, eum de medio sui proferre et dimittere, atque ejus causa porta aperiretur, quae omnes includit et evacuaretur sinus, qui omnibus praevalet. Si Adam

1. Deus ex justitia puniens, quasi peccatis nostris provocatus et ira devictus, ideoque quodammodo nobis inferior putari posset.

2. Sic in cod. B. In cod. A falso : « fervere facies ».

3. Scilicet misericordiae tuae.

4. Nempe Christum.

5. Hanc vocem explicationis causa inserui.

6. Nempe sub Adamo et Christo.

7. Sic in cod. B. In cod. A verba : « In regno tuo » sequenti sententiae copulantur.

prius orcum ingressus esset, quod et commeruerat, constanter ibi mansisset in aeternum [1]. Quemadmodum propter Noë erga familiam ejus, et erga filias Loth propter patrem earum bona fecisti, ita et oportuit, ut Abel thuribulum initii laudationum, quae in resurrectione [2] mortuorum ad te ascendunt, fieret, non autem Adam, qui demisso capite et tristitia indutus [3], tanquam primogenitus inferni et auctor tenebrarum adstaret.

Quanto gaudio affectae sunt miserationes tuae, quum adversariis nostris frena injicerentur! Id jam tunc fiebat, quando poenitebat cor tuum [4], quod quidem propter suam praescientiam nec contristari nec poeniteri potest, quia ei omnis consummatio et omnis finis manifestus est, et apud illud finis cum sua consummatione prior est quam initium in suo exordio. Verum haec dicta sunt, ut tuo consilio sententia, quam justitia tua ferebat, rescinderetur, et denuo tanquam merces tuae consolationis reliquiae et residua qua semen et fermentum generis humani nobis donarentur. Consilium tuum portas aperuit gratiae tuae [5], ut haec intraret et te pro nobis exoraret, quia a te vocem accusationis nostrae audivit, quae ipsa est causa resurrectionis nostrae, quum dixisti: « Inclinatio hominis mala est semper » [6]. Hoc enim consilio os justitiae ad nos delendos aperiebatur, sed et lingua gratiae ad nos vivificandos [7] solvebatur. Hoc consilio justitia damnavit nos propter nostram libertatem, eodemque

1. Sensus est: Si Deus Adamum ex justitia punivisset eique misericordiam non praestitisset, hic ex inferno nunquam esset liberatus.

2. Sic in cod. B. In cod. A falso: « et resurrectionis ».

3. Ita in cod. B. In cod. A ܢܚܝܪ falso bis ponitur.

4. Cf. Gen. 6,6: « Cor », ad verbum « cogitationes vel mens », h. l. intellectum vel consilium divinum significat.

5. In cod. B: « Janitor est gratiae tuae ».

6. Gen. 8, 21.

7. Haec sententia hoc quoque modo verti potest: « Per quod enim apertum est os justitiae, per hoc et soluta est lingua gratiae ».

consilio commota est gratia et nos justificavit propter naturam nostram, quia adjecisti : « A pueritia sua » [1]. Qui enim amicos suos in antecessum elegit, nobis demonstravit, non per decursum temporis nos coram ipso judicari, sed jam descriptos et obsignatos et propriis operibus ponderatos esse, quicunque sub magno ejus consilio in hunc mundum intraverint. Quum filius Dei nostrae gloriae causa formam nostram induit, in hac [2] judicio mortis te tradidimus. Quamvis dura tua justitia se revelet, tamen sementis operum nostrorum nobis crescit, quia mutuum nostrum justitiae tuae damus, quae id cum foenore nobis reddet. Libertas enim nostra e manibus diaboli erepta vas est, quod conditor praeparavit. In quantum enim libertas virtutem suam in nobis ostendit [3], in tantum gloria victoriae nostrae in bello augetur et multiplicatur. Ignis purgatorius [4] nunc est, qui suis cruciatibus et doloribus format et adaptat. Omnibus remediis Deus eo nos perducit, ut ornamentum fiamus regni sui. Haec magis magisque cognoscere studeamus et animas nostras et fraudulentam nostram scientiam frequenter arguamus, et reprehendamus.

O miserationes Dei dilatatae et effusae super omnes! Apud quem istae manserunt, nisi apud te Domine, quia per mortem tuam, o clementissime, vitam omnibus attulisti, et obitu tuo thesaurum miserationum tuarum aperuisti? Etiamsi ex consuetudine « Domine, Domine », dicamus, noli detrahere nomini dominationis tuae, ex ore nostro prolato, sed per testimonium oris nostri magis nos poteris possidere. Tua quidem visio omnibus est abscondita, sed designatus es in omnibus per cunctos affectus eorum. Opera enim nobis delineant creatorem et res creatae docent nos conditorem suum, ita ut palpare possis

1. Gen. 8, 21.
2. Ita in cod. B. In cod. A pronomen relativum falso insertum est.
3. « In nobis » ex cod. B additum est.
4. Ad verbum : « Fornax ».

eum qui absconditus est in sua investigatione, manifestus autem in suis donis. Difficile est intrare ad eum, facile accedere.

Te adoramus in omnibus, quia charitas tua ad omnes extenditur, licet voces omnium gratias agentium tibi haud sufficiant [1]. Tu nos ab invicem distinguis invisibilibus formis et fibrae radicum earum in una forma Adae colligata sunt, ne nostra mens multitudine diversorum ligaminum distracta evagetur. Te adoramus, qui nos in mundum induxisti et dominium nobis dedisti omnium, quae ex eo sunt, et ex hoc mundo nos educes hora, qua non putabimus. Te adoramus, qui dedisti verbum in os nostrum et fecisti nos defensores precum nostrarum. Tibi acclamat Adam in pace sua cum posteris suis, quoniam omnes conclusi sunt sub gratia tua. Tibi benedicunt venti, quum commovent aquam. Te glorificat terra, quae aperto utero suo festinat fructum suum dare tempore suo. Tibi benedicunt maria undis suis, quasi oribus, quum voces eorum potestatem, quam super ea habes, praedicent. Te magnificant arbores, a procellis concussae, in conceptu et partu tibi obedientes. Tibi benedicunt herbae sua varietate, et flores coloribus suis, sugentes abundantiam imbrium, et rorem suscipientes. Quae omnia congregentur et voces suas simul elevent, quasi communi impetu acta, et per omnia, quum pauca sint, in consonantia [2] ex omnibus uniatur benedictio tua, universis adinstar artificum in ista laudatione tua cooperantibus. Nostrum itaque est, ut tota nostra voluntate ad te tendamus, et tuum est, ut paululum ex tua plenitudine [3] ad nos attendas, ut nobis sit spiritus tuus, qui est veritas ex te, quo nostra infirmitas auferatur, quae sine tuis donis ad

1. Haec sententia ex cod. B emendata est; in cod. A sensus deest.

2. Sic in cod. B. Textum codicis A Aucher sic vertit: Quum pauca reperiantur ad ludos tuos, compaginetur ab omnibus laus tua.

3. Ad verbum: « ex te toto ».

te, Dominum donorum nostrorum, pervenire non valet.

Et quia insidiis lupi [1] in deserto derelicti sumus extra pacem baculi pii pastoris nostri, haec requies nostra reprehensa est per animos poenitentes, qui eam dijudicarunt. Haec non vera requies est, sed potius requies maculata et sordida, quae spoliat spiritus in abscondito, perturbat corpus in manifesto, quae clam vulnerat, ut spiritus dolore afficiatur, et corpus turbetur. Et quantum spiritus noster clam gaudebat, tantum contristabatur in manifesto, quum hanc quietem perniciosam removere [2] studeret. Hanc enim requiem destruxit dolor spirituum salutaris, qui ad finem vitae [3] eam consequebatur. Spiritus enim illam requiem in siti quasi bibit, inebriatione nutrivit et per disciplinam evomuit. Hoc est remedium vitae, quod Dominus corpus suum fecit ubera innocentiae nostrae, et sanguinem suum fontem, qui inebriando sitim nostram depellit, et totus prorsus factus est nobis mensa omnium bonorum.

Quamvis benedictiones nostrae parvae tibi sint, tamen nos enutriunt, ut per eas ad sedem donorum tuorum perveniamus. Quamvis laudes nostrae divitiis tuis nihil addant, tamen suo fervore nostram infirmitatem in oblivionem adducunt. Licet preces nostrae infirmae sint vocibus, tamen copiosam et magnam vim habent; ducunt nos ad te, et te deducunt ad nos. Non quia ipsae tam fortes sunt, hoc efficere possunt, sed quia tu bonus es eisque in laudem tuam hanc efficacitatem tribuisti.

1. Lupus h. l. dicitur imperator Valens, qui s. Barden ex sede sua Edessena ejecit et episcopum Arianum intrusit. Confer Bikell Carmina Nisibena s. Ephraemi p. 10 et 22. «Requies» ergo h. l. interruptus episcopatus ecclesiae catholicae Edessenae appellatur.

2. Sic in cod. B. In cod. A: «observare». Initium sequentis sententiae in cod. B hoc est: «Haec enim requies destruxit dolorem animi». Lectio cod. A praeferenda videtur.

3. Sic in cod. B. Aucher ex cod. A vertit: «In finem mentis». Sensus esse videtur: Poenitentia, quae multos in fine vitae subierat, hoc schisma abolere coepit.

Callidus [1] ad aures innocentes accessit et opere suo fructum vilem tanquam primitias [2] eis obtulit et homines innocentes ei aures praebuerunt. Recreantur, qui auditum bene ordinant [3], cruciantur vero, qui aures obturatas habent [4]. Recreantur et bonis adimplentur, qui in manifestis bonum discunt, et cruciantur et egent, qui inquisitione absconditorum de bonis contristantur. Recreantur, qui onus gloriosum portant, prae illis qui turpi requiei se dedunt, quia hos et propriae animae confundunt, illos vero et inimici laudant. Illic electi sunt, qui sine coactione legem observant, sed nec reprobati illi, qui coacti legem custodiunt. Ut illi in primo gradu stant, sic et hi medium tenent gradum, qui superior est infimo. Illi accesserunt, quia amarunt, et hi non recesserunt, quia timuerunt. Ergo nec amor accedentium Deo despicabilis et nullius pretii, nec timor ad eum confugientium ei vilis et contemnendus est. Deus aliquando umbram terribilis sui baculi super omnes extendit et quicunque eam videt, contremiscit, ita ut, quod malum sibi videatur, proximo suo non faciat; aliquando autem super omnes umbram elevat pulcherrimae suae coronae, et qui eam videt, festinat, ut, quod sibi bonum videatur, etiam aliis faciat. Bonum est, si quis, quod suum non est, non concupiscit, sed gloriosum et divinum, si quis multos bonorum suorum socios et participes facit. Magni sunt illi, qui ex timore rebus sibi non mandatis se non immiscent; sed parvi sunt hi comparati illis, qui ex amore ad ea quae libero arbitrio proposita sunt, manus suas sponte extendunt.

Verba Apostolorum non aequalia et eadem sunt, quia non simul evangelium scripserunt. Non enim

1. Callidum s. auctor h. l. seipsum vocat.
2. Ad verbum: « Sub nomine primitiarum ».
3. Haec sententia ex cod. B correcta est; in cod. A sensus sanus non reperitur.
4. Ad verbum: qui rebelles subjiciunt. Errorem in textu utriusque codicis esse suscipor.

mandatum acceperunt scribendi, ut Moyses jussus est tabulas conficere, sed sicuti propheta dicit: « Dabo eis pactum foederis, non sicut illud, sed legem meam dabo in mente eorum et in corde eorum scribam illam » [1]. Attamen occasionibus provocati scripta confecerunt. Matthaeus Hebraice Evangelium scripsit, quod postea in linguam Graecam versum est. Marcus autem Simonem secutus est et quum in urbem Romam profecti essent, ut perfecte recordarentur [2], si forte propter longum temporis spatium [3] aliquid in oblivionem veniret, Marcum orarunt, et scripsit, quodcunque acceperat. Lucas a baptismo Ioannis exordium sumpsit, nam hic de incarnatione ejus loquutus est et de regno ejus ex David [4], dum alter ab Abrahamo incepit [5]. Venit Ioannes et reperiens, verba eorum qui de genealogia et natura humana Domini scripserunt, varias opiniones excitasse, ipse scripsit, quod non tantum homo erat, sed quod a principio erat Verbum. Matthaeus Hebraice scripsit Evangelium, Marcus Latine ab Simone in urbe Roma, Lucas Graece, Ioannes etiam Graece scripsit Antiochiae [6], quia in vivis permansit usque ad tempus Trajani.

Marcus praedicavit in Ægypto, Ioannes in Asia, Matthaeus apud Indos et in Judaea, Thomas apud Parthos, Jacobus Zebedaei in Gallia, Andreas apud Scythas et Macedones et Achaeos, Petrus in Ponto et Romae et apud Galatas et Cymbrios [7] et Bithynos et Asianos et in Merdsin [8], Paulus ab urbe Ierusalem usque ad Hispaniam. Bartholomaeus evangelium Matthaei dedit Indis et fuit ibi episcopus, et praedica-

1. Ier. 31, 32-33. Hebr. 8, 8.
2. In cod. B : « recordaretur ».
3. Sic ex correctione cod. B.
4. Confer. Luc. 1, 27 ; 3, 23.
5. Math. 1, 2.
6. « Etiam Graece Antiochiae », in solo cod. B legitur.
7. I. e. Cappadoces, ut ex I Petri 1, 1 patet.
8. In cod. B : Mesuin i. e. Mysia.

vit in Lycaonia [1], Philippus praedicavit apud Graecos [2] et Galatas, Crispus apud Dalmatas [3], Titus apud Cretenses, Levi in regionibus, quae infra Pontum, Thaddaeus [4] unus ex Septuaginta Urhae [5] diebus Abgari, qui hujus loci praefectus erat [6], quem, quum aegrotus esset, sanavit.

Ejusdem s. Ephraemi [7]. Quadraginta annis post ascensionem Domini elapsis coepit ruina Ierosolymorum [8]. Ante bellum Titi [9] omnes Apostoli ad universas nationes gentium dispersi sunt, ut Dominus eis praeceperat: « Ite in omnem terram ».

Ejusdem de sectis [10]. Pharisai dicunt, non omnia esse per providentiam disposita [11], sed aliquas res per se fieri, quum casus dentur, qui quibusdam fiant, aliis non accidant. Saducaei providentiam negant, docentes, non dari providentiam, nec homines per illam perfectionem assequi, sed bona esse ex ipsis et mala ex ipsis, et omnia ex ipsis. Sed Esseni [12] providentiae super omnia tribuunt potestatem, et dicunt, sine ea non dari ordinem et rationem vitae hominum [13]. Rursus alia secta sunt Galilaei, qui semper sunt peregrinantes [14], et alia

1. In cod. B Laconia.
2. Ad verbum: Ionios. Sed Ionii in hoc opere vocantur Graeci.
3. Sic in cod. B. In cod. A Galatas.
4. Ita in cod. B. In cod. A Thadaeus.
5. I. e. Edessae.
6. Ita in cod. B. In cod. A « praefecti loci ».
7. Ad verbum: « Ejusdem ». Haec inscriptio in solo cod. B habetur.
8. Sic sententiae in cod. B divisae sunt.
9. I. e. ante bellum, in quo Titus Ierosolymam vastavit.
10. Haec quoque inscriptio in solo cod. B est.
11. Sic in cod. B. Verba cod. A Aucher ita reddit: « Non omnia distributio sunt ».
12. Ad verbum: Hasnazi, quod Aucher vertit: « Hasnenses » et explicat « Essenos ».
13. Sic in cod. B. Verba textus impressi Aucher ita vertit: « Quoniam ajunt: Non est voluntas vel merces sine illa hominibus ». Textus cod. A recentiori manu correctus est.
14. Verba Aucher sic reddit: « quotidie habitatores ». Sed quia opponuntur sectis « in medio Israel », et in Hebraeo eadem

Mazberchtenses[1] et Samaritani et Habionenses[2] in medio Israelis. Saducaei diebus Ioannis inchoarunt, velut justos a populo se separantes et resurrectionem mortuorum negantes, in se ipsis confidentes, quia non oportet, ut ajunt, Deum ob mercedem gratiae adorari et coli. Samaritani quoque resurrectionem mortuorum negant, et non in urbe sancta Ierusalem, sed in monte Garizim[3] adorant, atque simplicem[4] quendam prophetam venturum expectant, qui disponet et explicabit ea quae in prophetia Moysi obscura sunt. Et discipuli Ioannis de Ioanne gloriantur et dicunt, eum esse Christo majorem, qui ipse id testatus est dicens: « Non est major in natos ex muliere, quam Ioannes »[5]. Haec ergo omnia inimicus fecit, qui dissidia et haereses in populum immisit, ut baptismum Christi evacuaret, ne esset credibilis. Nos[6] autem sincero corde credamus, et laudibus extollamus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, nunc et semper et in saecula saeculorum.

Amen.

vox habitationem et peregrinum significat, posui « peregrinantes ».

1. Sic Aucher ex cod. A. In cod. B legitur: « Mazbuthazi ». Sectam Nazaraeorum sic designari conjicio.
2. I. e. Ebionitas.
3. Ad verbum: Grimazoz; in cod. B: Grimazivoz.
4. Sic Aucher. Pro « simplici » verti posset « purificatorem, vel emendatorem ».
5. Luc. 7, 28.
6. Ultima haec sententia in solo cod. B legitur.

FINIS CONCORDANTIAE S. PATRIS EPHRAEMI
SECUNDUM QUATUOR EVANGELIA.

# ORDO

LOCORUM S. EVANGELII IN HOC LIBRO EXPLANATORUM

(Loci paralleli non sunt indicati.)

Ioan. 1, 1-5. — p. 3-6.
Luc. 1, 5-25. — p. 6-14.
(Ioan. 1, 14. — p. 6.)
(Luc. 1, 76-77. — p. 7.)
(Ioan. 1, 17. — p. 7.)
Luc. 1, 26-38. — p. 15-17.
Luc. 1, 39-77. — p. 17-20.
Math. 1, 18-25. — p. 20-26.
Luc. 2, 1-14. — p. 26-27.
Luc. 2, 29-35. — p. 28-29.
Math. 2, 1-15. — p. 29-32.
Math. 2, 16-23. — p. 32-36.
(Ioan. 1, 17. — p. 36.)
Ioan. 1, 14. — p. 37.
Ioan. 1, 19-28. — p. 37-40.
Luc. 2, 47-48. — p. 40.
Math. 3, 4-9. — p. 40-41.
Luc. 3, 23. — p. 41.
Math. 3, 15. — p. 41-42
Math. 4, 1-11. — p. 42-49.
Ioan. 1, 35-41. — p. 49.
Ioan. 2, 1-11. — p. 52-57.
Marc. 1, 15. — p. 57.
Ioan. 3, 22. — p. 58.
(Math. 9, 9. — p. 58.)
Luc. 5, 5. — p. 59.

Math. 9, 1-13. — p. 59-61.
Marc. 2, 19. — p. 61.
Math. 12, 1-8. — p. 61-62.
Math. 5, 1-19. — p. 62-64.
Luc. 6, 24. — p. 64.
Math. 20-39. — p. 65-74.
Math. 6, 17-24. — p. 71-72.
Math. 7, 1-6. — Luc. 8, 18. — p. 72-74.
Luc. 7, 2-10. — Math. 8, 5-13. — p. 74.
Luc. 7, 11-17. — p. 74.
Math. 8, 18-34. — p. 74-76.
Math. 9, 8-26. — Luc. 8, 41-56. — p. 76-90.
Math. 10, 1-42. — p. 90-98.
Luc. 10, 38-42. — p. 98.
Math. 11, 2-14. — p. 99-111.
Math. 12, 22-32. — p. 111-113.
Luc. 7, 39-50. — p. 113-115.
Luc. 10, 1-18. — p. 115-117.
Math. 11, 25-30. — 117-118.
Luc. 14, 26-30. — p. 118.
Math. 12, 39-50. — p. 118-123.
Math. 13, 1-54. — p. 123-128.
Luc. 4, 16. — p. 129-131.
Math. 14, 1-36. — p. 131-136.
Ioan. 6, 30-59. — p. 136-137.
Math. 15, 1-28. — p. 137-140.
Ioan. 4, 1-42. — p. 140-143.
Math. 8, 1-4. — p. 143-145.
Ioan. 5, 1-47. — p. 145-152.
Marc. 8, 22-26. — p. 152-153.
Math. 16, 13-27. — p. 153-155.
Math. 16, 28. 17, 1-9. — p. 155-159.
Luc. 13, 31-33. — p. 159-160.
Math. 17, 14-21. — p. 160-161.
Math. 17, 24-27. — p. 161-162.
Math. 19, 3, 9. — p. 162.
Luc. 15, 1-16, 1-13. — p. 162-163.
Math. 18, 21-22. — p. 163-164.
Math. 18, 20. — p. 165.
Math. 18, 10. — p. 165.
Luc. 13, 1-9. — p. 165-166.
Ioan. 7, 1-21. — p. 167-168.

Math. 19, 16-30. — 168-174.
Luc. 16, 9-31. — p. 174-175.
Math. 20, 1-18. — p. 175-177.
Math. 20, 20-28. — p. 178-179.
Luc. 19, 1-10. — p. 180.
Luc. 18, 35-43. — p. 181.
Math. 21, 12. — p. 181.
Luc. 18, 9-15. — p. 181-182.
Math. 21, 19-22. — p. 182-187.
Ioan. 3, 1-14. — p. 187-190.
Luc. 18, 1-8. — p. 190.
Math. 21, 23-46. — p. 191-193.
Math. 22, 16-39. — p. 193-194.
Luc. 10, 25-37. — p. 195-196.
Ioan. 7, 37. — p. 196.
Ioan. 8, 30-59. — p. 196-197.
Ioan. 9, 1-41. — p. 197-200.
Ioan. 10, 8. — p. 200.
Ioan. 11, 1-53. — p. 200-205.
Math. 26, 6-13. — p. 205-207.
Ioan. 12, 10. — p. 205.
Math. 21, 1-17. — p. 207-208.
Ioan. 12, 31-36. — p. 208-209.
Luc 17, 20-37. — p. 209-211.
Luc. 11, 37-54. — p. 211-213.
Luc. 13, 35. — p. 213.
Ioan. 12, 47-50. — p. 213.
Math. 24, 1-51. — p. 213-218.
Math. 25, 1-30. — p. 218-219.
Luc. 12, 35. — p. 219.
Math. 26, 17-29. — p. 219-222.
Luc. 22, 31. — p. 222.
Ioan. 14, 8-30. — p. 222-223.
Luc. 22, 36. — p. 223-224.
Ioan. 15, 12-27. — p. 224-227.
Ioan. 16, 11. — p. 227.
Ioan. 17, 1. — p. 227-228.
Math. 26, 36-45. — p. 228-235.
Math. 26, 46-56. — p. 235-236.
Math. 26, 57-68. — p. 236-238.
Ioan. 18, 28. — p. 238.
Ioan. 19, 13-14. — p. 238-239.
Math. 27, 27-31. — p. 239.
Math. 27, 3-10. — p. 239-241.
Luc. 23, 26-43. — p. 241-245.

Ioan. 19, 29. — p. 245.
Math. 27, 34. — p. 245.
Luc. 23, 47. — p. 245-247.
Math. 27, 46-49. — p. 247-253.
Luc. 23, 46-49. — p. 254-259.
Ioan. 19, 34. — p. 259-265.
Math. 27, 57-66. — p. 266.
Math. 28, 13. — p. 267.
Ioan. 20, 1-18. — p. 268-271.
Ioan. 21, 19-23. — p. 271-274.
Luc. 24, 49. — p. 274.
Act. Ap. 1-4. — p. 274.

208.431
Ep 38 Mo ST. EPHREM 24512
AUTHOR Evangelii Concordantis
Expositio. Facta a Santo Eph. ....
TITLE Moesinger, George (Editor)
Aucher, J. B. (Transl.)
DATE DUE | BORROWER'S NAME
Pérez
Cunn
Roger
O'Conn
JUN
208.431
Ep 38 Mo
24512